


SYNODUS
DIŒCESANA POLICASTRENSIS
IN TRIA CAPITA PARTITA
Et Nono Kal. Majas 1816.
IN S. CATHEDRALI ECCLESIA HABITA
SUB PRÆSULATU

Fr. Ludovici Lodovici Seraphici Ordinis S. Francisci Minorum Observantium in Sacra Theologia Lectoris jubilati, Dei Miseratione, & Apostolicæ S. Sedis Gratia, jam Crotonensis, nunc Policastrensis Episcopi: SS. D. N. Pii, Divina Providentia, PP. VII. Prælati Domestici; ejusque Pontificio Solio Adsistentis; Regalis Siciliarum Ordinis Equitis: Terrarum Turris Ursayæ, & Castri Rogerii, atque Feudi Selucii utilis Domini, ac Baronis &c. &c.



Neapoli 1816. Ex Typographia Barnabæ Cons.
Superiorum permissu.



Bonitatem, & Diſciplinam, & Scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi
Pſalm. 118.



INDEX


CAPITUM, ET SECTIONUM.

De

SY.

ERRATA.			CORRIGE.
Pag. 2	v.15	Jœlis	Joelis
16	18	Archiepiſcopo	Archipresbytero
ibid.	19	Archiepiſcopo	Archipresbytero.
23	23	hnmani	humani
32	6	admiſſio	admiſſio
ibid.	7	penas	pœnas
52	16	ludit	ludis
57	2	Eccleſia	Eccleſiæ
60	6	in	ut
61	1	fortunes	Fortunas
63	15	ſtatnto	ſtatuto
66	3	abs te	abs re
98	1	ſcripti	ſcriptis
100	4	ſadimplenda	adimplenda
121	3	gran e	grave
148	8	ſpecistim	ſpeciatim
149		§. VI.	§. V.
150		§. VII.	§ VI.
ibid.	2	fortilegii	ſortilegii
156	3	prædicatone	prædicatione
160	6	cordatio-nibus	cordatioribus
161	17	at	ut
173	8	non e	non ſe
178	8	previſus	proviſus
198	16	Saoto	Santo

Reliqui errores, ſi forte irrepſerint, relinquuntur Lectori corrigendi.





SYNODI

DIŒCESANÆ INDICTIO.



NOs Fr. Ludovicus Lodovici Seraphici Ordinis S.P. Francisci Min. Observ., in Sac. Theol. Lector Jubilatus, Miseratione Divina, & Apostolicæ S.Sedis Gratia jam Crotonen., nunc Policastren. Episcopus, SS. D. N. Pii Divina Providentia PP. VII. Prælatus Domesticus, ejusque Pontificio solio Assistens, Regalis Siciliarum Ordinis Eques, Terrarum Turris Ursayæ, & Ca-

ſtri Rogerii, atque feudi Selucii utilis Dominus, & Baro &c. &c.

Quum Nos, quibus licet indignis, ordinatione Divina, grave munus regendi hanc Policaſtren. Diœceſim commissum fuit, animadverteremus, præſentium malitia temporum, fidem ſcilicet ubique oppugnatam, mores corruptos, & Eccleſiaſticam Diſciplinam in multis fere extinctam, frigeſcentem, vel non curatam in aliis: & cogitantes, magno animi noſtri mœrore, quale remedium ſit maxime opportunum, ut hujus noſtræ Diœceſis incolumitati occuramus, implorato Dei auxilio, ſubiit Nobis illud Jœlis Cap. II. V. 15. *Vocate cœtum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes*. Quapropter Nos hoc Divino oraculo inſpirati, ad Synodum Diœceſanam feria III. poſt Dominicam in Albis, quæ erit viceſima tertia menſis Aprilis currentis anni 1816.,

ce-

celebrandam impulsi fuimus, ut humanum genus, quod insita peccati labes premit, quantumvis corruptibile, Divinæ gratiæ auxilio, incorruptionem induat, & aper exterminans expellatur de Domini vinea, quam Redemtor pretioso suo sanguine irrigavit. Mandamus ergo Dignitatibus, & Canonicis nostræ Cathedralis Ecclesiæ, omnibusque Curatis, Cantoribus, Vicariis foraneis, & cunctis nostræ Diœcesis, ad quos de jure, vel consuetudine, vel privilegio, Diœcesanæ Synodo interesse spectat, ut dicta die primo mane in hac nostra Cathedrali Ecclesia non deficiant se se præsentare, cum decenti, suoque gradui respondente habitu, exceptis iis, quibus legitima caussa impedimento est, quæ a Nobis prius cognosci debeat, aliter pænas in sacris Canonibus expressas, aliasque arbitrio nostro infligendas haud effugient.

Interea ſacerdotes omnes hujus noſtræ Diœceſis privatas preces obnixe effundant, & ii, ad quos attinet, publicas preces ex ſacrorum Canonum præſcripto indicant: ab omnibus nempe ſingulis feriis V. ad celebrationem uſque Synodi fiat ſacrum de Spiritu S., vel de Eo collecta, ſingulis vero diebus feſtivis de præcepto Archipresbyteri Curati, & ſacerdotes omnes noſtræ Diœceſis SS. Litanias ante Miſſam Conventualem cum populo devote recitent, ut Pater Cæleſtis in miſericordia dives conſilia, actuſque noſtros, & adſpirando prævenire, & adjuvando proſequi dignetur.

Ut in noſtra Synodo, quod corrigendum ſit, non prætermittatur, noſtris Archipresbyteris, & Vicariis foraneis omnibus mandamus, ut quam citius ad Nos referant, & patefaciant omnia mala, & inconvenientia; quæ in ſuis diſtrictio ſerpent.

Man-

Mandamus tandem, ut hæc Synodi nostræ Indictio valvis tam hujus nostræ Cathedralis Ecclesiæ, quam aliarum Parochialium Ecclesiarum totius nostræ Diœcesis congruo tempore adfixa maneat, ut perinde omnes, qui convenire tenentur, afficiat, ac si cuilibet personaliter intimata fuisset. Datum Policastri die 5. mensis Martii 1816.

Fr. Ludovicus Episcopus Policastren.

Erancifcus Polito de Rosa Secretarius.

ORATIO HABITA

In sessionis initio post Missam solemniter celebratam ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Episcopo Policastrensi Fr. Ludovico Lodovici.

QUanquam, Ven. Consacerdotes, dilectissimi in Christo fratres, sollicitudo nostra Pastoralis semper in pascendo, & custodiendo grege Nobis commisso occupata fuerit: tamen, ne vitiorum monstra, quæ hodie undique moliuntur eum destruere, potentiora fiant, visum fuit Nobis in hunc sanctitatis locum vos omnes convocare, ut in circuitu mensæ Domini congregati, Spiritus S. adsistentia, omnia media sancire possimus, quibus ea depellere valeamus, & ovium nostrarum fides, mores, & Ecclesiastica Disciplina in-

intacta, & illibata maneant. Atque hæc tria objecta præsentis nostræ Diœcesanæ Synodi materiam continent. Nam hujusmodi sacri cætus ad hoc haberi solent, ut fides sit pura, pullulantia scandala succidantur, pravæ consuetudines, si quæ forte emerserunt, extinguantur, gliscenti lasciviæ, licentiæque via omnis intercludatur, & Deo, sanctisque suis debitus cultus, & honos vindicetur. Quare, venerabiles fratres, qui genus electum vocati estis, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Vos igitur in nostri laboris partem acciti, qui simul commissum Nobis gregem pascere, & conservare debetis, prompto, alacrique animo, quicquid in hac Synodo a Nobis præscribitur, susci-

pite; Spiritum induite filiorum Dei, qui idoneos Nos fecit Ministros Novi testamenti, ut servientes Domino non litera, sed spiritu, præceptis vos ipsos subiiciatis, non timore pœnæ, sed amore justitiæ, non propter iram, sed propter conscientiam.

Nos ergo agnoscentes nostras infirmitates, ne quis error in hisce nostris Constitutionibus irrepere possit, imploramus Spiritus S. adsistentiam, & dicamus: adsis, Divine Spiritus, charismatum dona in Nobis infunde, ut cælestibus flammis incensi, ad sublimia aspiremus, & odio habentes Ecclesiam malignantium, in concilio vanitatis non sedeamus cum impiis, sed in concilio justorum audientes vocem laudis simul ea, quæ opportuna sunt, hoc ipso in loco sanciamus, & quæ sunt sancita, justis operibus perficiamus. Tuque, Divina Parens, fidum salutis nostræ

re-

refugium, & præſidium, univerſum hunc cætum benigne reſpice, votis fave, ceptis aſſiſte noſtris, ut tuo præſidio ſuffulti, quod rectum, ſequi, quod utile eſt, & neceſſarium, heic ſtatuere poſſimus, & una omnes laudemus; & glorificemus Deum, & Patrem D. N. J. C., qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

DECRETUM I.

De nulli in Synodo præjudicium inferendo, vel de ea diſcedendo.

Quoniam forte accidere poteſt, ut quis aut contra ſuæ dignitatis gradum veſtiat, incedat, ſedeat, vocetur, aut aliquid agat; ideo ſancimus nullum omnino præjudicium ei inferre, aut novum jus ſibi acquirere, ſed omnia in eo ſtatu permanere, quo erant ante Synodum ip-

ſam,

ſam, a qua nemo ex illis, qui intereſſe tenentur, ſine noſtra expreſſa venia, audeat diſcedere, antequam abſolvatur Synodus.

DECRETUM II.

De confirmanda Synodo Prædeceſſoris noſtri, & noſtra, habita ſub die 10. *Aprilis* 1804.

Cum multa in hac noſtra Synodo ſint prætermiſſa, quia bene tractata in Synodo tam noſtra, habita ab hinc duodecim annis quam Predeceſſoris noſtris fel. rec.; ideo eas confirmamus, & in viridi obſervantia revocamus in omnibus, quæ præſenti noſtra Synodo non ſunt abrogata, vel derogata.

DE-

DECRETUM III.

De Synodi Officialibus.

Ne in nostra Diœcesana aliquid a sacris Canonibus, & præsertim a Conc. Toletano IV. inculcatum, prætermittatur, ideo deputamus, & eligimus hujus Synodi Officiales, ut in ea debito ordine omnia exerceantur. Sunt, ut sequitur.

PROMOTOR SYNODI.

Adm. Rev. D. Laurentius Pignatari nostræ Cathedralis Ecclesiæ Achidiaconus Curatus.

SYNODI SECRETARIUS.

Adm. Rev. D. Augustinus Molinari nostræ Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, & in nostro seminario Sac. Theol. Lector.

MAGISTER CÆREMONIARUM.

Rev. D. Franciscus Polito di Rosa noster Secretarius.

Diaconus Gregorius Finamore ejus coadjutor.

HOSPITALIUM PRÆFECTUS.

Adm. Rev. D. Dominicus Menta nostræ Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Theologus.

EJUS COADJUTORES.

Rev. D. Jo. Eboli, D. Vitus Bruno, Acolythus Fabritius Pecorelli.

NOTARIUS SYNODI.

Rev. D. Franciscus Polito d' Rosa noster Secretarius.

Judices querelarum, & excusationum.

Adm. Rev. D. Raymundus Bellotti nostræ Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Decanus.

Adm. Rev. D. Vincentius Maccarone nostræ Cathedralis Ecclesiæ Canonicus.

PROCURATOR CLERI.

Adm. Rev. D. Ludovicus Giffoni nostræ Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Pænitentiarius.

DE-

DECRETUM IV.

De Examinatoribus Synodalibus.

Ut Parochiales Ecclesiæ idoneis Parochis provideantur S. T. S. Seff. XXIV. Cap. VIII. eorum examen coram tribus examinatoribus, in Synodo adprobatis faciendum esse sancivit, proptereaque decrevit etiam, ut locorum Ordinarii in Diœcesana Synodo saltem sex Examinatores de Ecclesiasticis doctis, benemoratis, & ad hoc habilibus proponat, qui in ea adprobati debent durare ad novam usque Synodum, quamquam ultra annum non habeatur, pariterque ad S. Dei Evangelia jurare, se, postposita quacunque humana adfectione, fideliter munus suum persecuturos. Horum officium erit non solum concurrentium scientiam experiri, verum & eorum ætatem, gravitatem,

tem, morum honestatem, prudentiam, munia antea exercita, aliaque omnia ad Ecclesiæ regimen necessaria inquirere. Sed, ut recte istud officium adimpleri possit, sicut decet; caveant, ne quid etiam gratis, & sponte oblatum, examinis caussa, vel occasione, sive antea, sive postea recipiant; alioquin tam ipsi, quam alii dantes Simoniæ labe se inficient. Nos igitur huic T. C. decreto inhærentes, eligimus, deputamus, & Synodo sequentes proponimus.

EXAMINATORES SYNODALES.

Adm. Rev. D. Laurentius Pignatari Archidiaconus Curatus, & Prima Dignitas nostræ Cathedralis Ecclesiæ.

Adm. Rev. J. V. D. Abbas D. Joseph Joachim Miele olim Canonicus Theol., nunc Cantor, & secunda Dignitas nostræ Cath. Ecclesiæ. A. C.

Adm: Rev: D. Raymundus Bellotti nostræ

ſtræ Cath. Eccleſiæ Canonicus Decanus.

Adm. Rev. D. Vincentius Maccarone noſtræ Cath. Eccleſiæ Canonicus.

Adm. Rev. D. Ludovicus Giffoni noſtræ Cath. Eccleſiæ Canonicus Pænitentiarius.

Adm. Rev. D. Dominicus Menta noſtræ Cath. Eccleſiæ Canonicus Theol.

Adm. Rev. D. Auguſtinus Molinari noſtræ Cath. Eccleſiæ Canonicus, & in noſtro Seminario Sacr. Theol. Lector.

Adm. Rev. D. Franciſcus Severini Terræ Camerotæ Archipresbyter Curatus A.C.

Adm. Rev. D. Franciſcus Cantiſani Archipresbyter S. Nicolai Civitatis Rivelli A.C.

Adm. Rev. D. Jo: Angelus Ferrari S. Mariæ de Podio Rivelli Æconomus Curatus A.C.

Adm. Rev. D. Vincentius Rizzo Archipresbyter Curatus Civitatis Lacusliberi.

Adm.

Adm. Rev. D. Rofarius Alberti Ecclefiæ S. Nicolai Lauræ Archipresbyter Curatus.

Adm. Rev. D. Jofeph Palazzo S. Joannis ad Pyrum Archipresbyter Curatus.

Adm. Rev. D. Francifcus Crecca Laureæ inferioris Cantor Curatus.

Rev. D. Francifcus Polito de Rofa nofter Secretarius.

Rev. D. Clemens Finamore noftri Seminarii Rector.

Rev. D. Blafius Lentini Lauræ fuperioris Sacerdos.

Placent ne vobis? Refponderunt: Placent.

Omnes defcripti Examinatores Synodales, exceptis adm. RR. D. Francifco Severini Camerotæ Archiepifcopo Curato, D. Rofario Alberti Laureæ Archiepifcopo Curato, & D. Blafio Lentini, eadem die, ferv. ferv., juramentum præftitere.

CAPUT I.

DE FIDE CATHOLICA.

SECTIO I.

De fide speciatim.

§. I.

CUm Fides, juxta D. Pauli dictum, sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: & *Sine Fide impossibile sit placere Deo* (Heb.II.1.6.); ideo omnibus clare patet, quod ipsa sit Christianæ Religionis basis, & fundamentum.

§. II.

Et quoniam, quæ proponuntur credenda, alia sunt ita necessaria ad æternam salutem, ut, nisi credantur, nullo mo-

do salus ipsa obtineri possit : alia non ita, sed credi debent, quia præcepta; iccirco eorum conscientiam oneramus, qui animarum curam habent, ut diligenter, clara, & intelligibili voce populo explicent, quæ sunt necessitate Medii, ut ajunt, & quæ sunt necessitate præcepti fidelibus credenda.

§. III.

Oportet autem, ut hæc fides non solum corde retineamus, sed etiam ore profiteamur; nam ait Apostolus Paulus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*. Cui consonat Ecclesiæ præceptum in tot Conciliis repetitum. Quapropter omnium Sacerdotum, & præsertim eorum, qui animarum curam gerunt, grave officium est instruere, omnes fideles teneri, etiam cum vitæ
di-

discrimine, ad exterius profitendam eam fidem, quam in corde fovent, & specia- tim hisce nostris temporibus, quibus S. Mater Ecclesia amaras lacrymas fundit, ob nova ulcera, quæ a libertinis, incre- dulis, materialistis, & ab hominibus in omni vitiorum genere, & præsertim la- sciviæ corruptis, profunde recepit.

§. IV.

Cum vero una sit omnium credentium fides, secundum D. Pauli effatum: *Una fides*: ideo proponimus heic fidei formu- lam, quam edidit Summus Pontifex Pius PP. IV. sua Constitutione, quæ incipit: *Injunctum Nobis*, cui omnes nostræ Diœcesis se conformare debent, & qui beneficium obtinent, cui animarum cura est adnexa, eam edere debent infra duos menses a die captæ possessionis coram

Nobis, vel nostro ad hoc specialiter delegato, sub pæna fructûs suos non faciendi. Eamdem sub dicta pæna, ut infra idem tempus emittere tenentur apud Nos, nostrumve Delegatum, & apud Capitulum, qui aliquam dignitatem, vel canonicatum obtinent in nostra Cathedrali Ecclesia, ut a S. T. C. fuit præscriptum. Ceteri autem, qui sunt huic fidei professioni obnoxii, nominantur in dicta Constitutione Pii PP. IV., & a Conc. Trid.

Et quoniam ad hujusmodi orthodoxæ fidei professionem potissimum tenentur illi, qui Synodo Diœcesanæ tam de jure, quam de consuetudine adesse consuescunt; ideo unusquisque vestrum Nobiscum in Spiritu S. congregatus præscriptam fidei nostræ professionem solemniter emittere teneatur, simulque S. R. E. semper obtemperaturum spondeat, & ad sacrosancta Dei Evangelia, ut inferius, juret.

Ego

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE: ET HOMO FACTUS EST. *Crucifixus etiam pro Nobis sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram*

Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum S. Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: Qui locutus est per Prophetas. Et unam S. Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quam tenuit, & tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. *Pro-*

Profiteor quoque septem esse vere, & proprie Sacramenta Novæ Legis a J. C. D. N. instituta, atque ad salutem bnmani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto: omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in S. T. S. definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis; atque in SS. Eucharistiæ Sacramento esse vere,

realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima, & Divinitate D. N. J. C., fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro Nobis offerre: atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum SS., habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a

Chri-

Christo in Ecclesia relictam fuisse; illà. rumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco; Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cetera item omnia a sacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a S. T. S. tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, con-

stan-

stantissime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc S. Dei Evangelia.

SECTIO II.

De Hæresi, & de ea Suspectis.

§. I.

Cum tria ad hæresim constituendam requirantur, error nempe in intellectu, pertinacia in voluntate, ac Fides in eo, qui errat; facile ab omnibus intelligitur, quod Hæresis sit error in intellectu voluntarius, & pertinax contra aliquam Fi-

Fidei veritatem in homine, qui fidem recepit.

§. II.

Et quoniam ubique grassantur homines, qui sacro Baptismatis fonte regenerati non solum aliquam fidei veritatem negant, vel contra unaninem SS.Patrum consensum de ea diverse sentiunt; quorum primi Hæretici, secundi suspecti de Fide vocantur, sed etiam qui toti Fidei abrenuntiant, qui & Apostatæ dicuntur; idcirco omnibus mandamus, & præsertim iis, qui curam animarum habent, ut ad Nos denuntient post adhibita remedia, quæ sunt in eorum manibus, (paternam scilicet correptionem, & alia id genus) istos perversos homines, qui tanquam lupi rapaces, Domini gregem destruere moliuntur, ut Nos opportunis remediis a Deo acceptis, & si non sufficiant,

im-

impetrato etiam forti brachio laicali, a Christi ovili eos depellere possimus, & sic eorum caput conterere.

§. III.

Ut autem medium potentissimum, quo istud viperarum genus Christi, ovile veneno inficere optat, e manibus evellamus, omnibus nostræ Diœcesis fidelibus tota nostra auctoritate mandamus, ne unquam libros hæreses continentes, vel mores bonos corrumpentes legant, nec apud se retineant, nisi prius, cum nostra adtestatione de moribus, & scientia, debitum permissum a S. Sede obtinuerint. At vero quia non desunt hisce nostris temporibus homines ita corrupti, & depravati, ut has prohibitiones deridentes, & Ecclesiasticam potestatem contemnentes, duro, obstinatoque animo legere,

re-

retinere, & divulgare hujuſcemodi libros volunt; ideo mandamus omnibus Archipresbyteris Curatis, & Vicariis noſtris Foraneis, ut infra duos menſes ad Nos referant præfatos homines, tanquam de Hæreſi ſuſpectos. Mandamus pariter omnibus noſtræ Diœceſis Confeſſariis, ut ſuos pænitentes obligent ad iſtos denuntiandos apud Nos intra ſpatium duorum menſium; ſecus eis denegetur abſolutio. Nos autem utentes prius ſaluraribus remediis, quibus S. Mater Eccleſia utitur, vocando ad Chriſti ovile oves errantes, poſtea ſi Paſtoris vocem audire noluerint, non ſine animi noſtri mærore ad illa remedia veniemus, quæ Sacri Canones, & Leges Civiles in manibus noſtris poſuere.

§.IV.

§. IV.

Parum ab hæreſi diſtant vanæ Obſervationes, ſortilegia, Divinationes, & alia deteſtabilia ſuperſtionum genera, quibus perditi homines fraudum artifices morbos repellere, armorum ictus inanes reddere, theſauros latentes detegere, & alia hujusmodi ſe præſtare profitentur; idcirco mandamus omnibus animarum Paſtoribus, ut fideles ſibi commiſſos moneant, eos tanquam hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos eſſe denuntiandos, juxta Leonis X., & Pii V. Conſtitutiones.

§. V.

Et quia in hiſce noſtris temporibus undique graſſatur; & ſerpit nocturna illa, & ſecreta ſocietas, ſeu unio, a ſeculi Principibus proſcripta, & ab Eccleſia

ſia damnata, utpote creditur tendens ad veræ Chriſti Eccleſiæ, & Principatuum ſubverſionem; ideo Nos inhærentes conſtitutionibus, & edictis ſummorum Pontificum Clementis XII., Benedicti XIV., Pii VI., & Pii VII.; nec non edictis olim noſtri Regis Caroli III, ac noviſſimis diſpoſitionibus Auguſt. Regis noſtri Ferdinandi IV., quem Deus ſemper incolumem reddat, aliorumque Regum, & Europæ Principum, mandamus Archiprebyteris Curatis, & Vicariis noſtris Foraneis, aliiſque, quorum intereſt, ut pro viribus operam dent præſervando gregi adhuc incolumi, & in Domino curent errantem reducere ad ovile, nempe ad Eccleſiæ ſinum, extra quam nulla eſt ſalus. Sciant ipſi Archipresbyteri Curati, Vicarii Foranei, & Confeſſarii nulla ſe facultate pollere enunciatis ſocietatibus utcunque irretitos abſolven-

vendi, nisi in articulo mortis, utpote Romano Pontifici reservatam culpam hanc scimus. Animadvertant tandem futilem, vanam, & nullam esse excusationem eorum, qui nil mali committi asserunt; namque sufficit sola admissio, sola receptio, ad dictas uniones, ut in penas Canonicas, & Civiles incurrant.

§. VI.

Cum detestabile blasphemiæ scelus sit vel hæreticale, vel simplex, ideo ut affine Hæresi hoc loco de eo verba facimus. Teterrimum hoc vitium factum est tam familiare, ut etiam in puerorum ore execrabilia dicta audiantur, ne dicam de fæminis, & viris adultis, qui fere in omnibus suis locutionibus, ut energicam vim iis imprimant, plures blasphemias, & laida dicta eructant: Nos igitur, ut hoc monstrum a nostra Diœcesi depellamus,

mus, quod, ſuo venenato ore, quaſi omnes ad orcum rapit, volumus, ut Archipresbyteri Curati, Concionatores, & Sacerdotes cuncti inſectentur hoc ſcelus, & ſi noverint, aliquem edidiſſe hæreticalem blasphemiam, ad Nos denuntient tanquam hæreticum; Confeſſarii vero, ſi audierint in Confeſſione aliquem ita blasphemantem, & ſpeciatim venerandum Dei nomen, Jeſu Chriſti, vel B. Virginis, eum nunquam abſolvant, quia eorum judicium ad Nos eſt reſervatum. Inſuper non abſolvant pænitentes, qui in blasphemia ſimplici ſunt habituati, & parentes, & dominos, qui ante filios, vel famulos blasphemant, vel dum filii, & famuli blasphemant, eos acriter non corrigunt; pariter non abſolvant eos, qui cauponas, Ludos, & alia loca, & negotia continuant, quæ poſſunt eſſe blasphemandi motivum. Et ſi tamen iſti perditi ho-

mines nolunt se ad Deum convertere, & a suis sceleribus retrahere, ad Nos denuntient Archipresbyteri Curati, & Vicarii nostri Foranei, ut mediis tam nostris, quam politicis possimus in eos animadvertere.

SECTIO III.

§. I.

De Doctrina Christiana, & Verbi Dei prædicatione.

Quoniam quæ sæculi sapientibus, & prudentibus abscondita erant de Christi Domini Incarnatione, Deo placuit parvulis revelare; facile quisque videt, præcipuum Dominicæ Missionis munus esse, pauperibus, & pueris sapientiam præbere; & quia vel desidia, vel præsumptione, vel eorum commoditate, qui curam animarum

rum ſuſtinent, hoc præſtantiſſimum Officium parum, vel nil curatur; exiſtimant enim aliqui, eſſe neſcio quid vile frangere panem, dum pueri eum quærunt, quapropter aliis Presbyteris, vel Clericis committunt docere eos Fidei rudimenta Nos ideo, ut iſtis malis occurramus, S. T. C. ſanctionibus inhærentes expreſſæ præcipimus, quæ ſequuntur.

§. II.

1. Mandamus, ut omnes, quibus eſt animarum cura, ſingulis diebus Dominicis, ſolummodo exceptis Palmarum, Paſchatis, & Pentecoſtes; pueros, puellaſque Fidei rudimenta per ſe, & non per alios Presbyteros ſubſtitutos edoceant, niſi legitimo aliquo impedimento detineantur. Sin vero ipſi haſce noſtras ſanctiones nihili exiſtiment, quod abſit, & parum

curent hanc potiſſimam Officii ſui partem, ita ut in culpabili deſidia, & præſumptione, perſeverare velint, præter ſeveriſſimum Dei judicium, noverint etiam ſubituros fore graves Eccleſiaſticas pœnas, & Cenſuras, quas, pro ratione culpæ infligere haud omittemus.

§. III.

2. Pueri, & puellæ, peculiari campanæ ſigno, hora pomeridiana convocati, ab animarum Rectoribus diſtribuantur in claſſes, hinc mares, illinc femellæ, & ſaltem unius integræ horæ ſpatio in præcipuis Chriſtianæ Fidei capitibus eos erudiant. Ad hoc perutile Officium exercendum, uti poſſunt libello a doctiſſimo Cardinali Bellarmino, juſſu Clem. VIII. edito, ut Doctrinam Chriſtianam una, eademque ratione populus profiteatur.

No-

Noverint præterea animarum Archipresbyteri Curati, quod ipsi non sint ab hoc munere immunes, etiamsi adsint alii, qui vel pietate, vel instituto hoc opus studiose exercere videantur.

§. IV.

3. Studeant iidem Curati, ut in aliquo libello descripta habeant nomina, & cognomina puerorum, qui Doctrinæ instructioni intersunt, ut assidui imaginibus, aliisque munusculis alliciantur. Qui vero deficiunt, vel interesse negligunt, corrigantur. Ab ista correctione eorum parentes non sint immunes, nisi omni possibili modo procurent filios ad Christianæ Doctrinæ instructionem mittere, ut sic suis obligationibus satisfacere possint.

§. V.

4. Sed quia reperiuntur etiam adulti, quos rerum Divinarum ignaros in puerorum numero se habere pudet; mandamus idcirco omnibus Sacerdotibus, qui in Oratoriis, tam urbanis, quam privatis sacrum faciunt, & iis, qui primam in Parochialibus Ecclesiis Missam celebrant, ut singulis Dominicis populum diligenter, patienterque erudiant juxta formulam a Nobis typis mandatam, & in hujus Synodi calce expositam. Si quis ex Sacerdotibus munus istud tam perutile negligere audeat, eos animarum Rectores, quorum conscientiam oneramus, ad Nos referant, ut opportunis remediis gregis nostri necessitati occuramus.

§. VI.

§. VI.

5. Animarum Curati omnem diligentiam adhibeant, ne conjungant in matrimonium, nisi eos, qui Christianam Doctrinam callent, prævio eorum diligenti examine, sine personarum acceptione. Non admittant pariter ad Patrini, vel Matrinæ Officium, nisi ad id noverint idoneos.

§. VII.

6. Cum Verbi Dei prædicatio sit huic adfinis, de ea idcirco hoc loco statuimus, aliqua obiter pertractare. Noverint igitur omnes animarum nostræ Diœcesis Rectores, hoc prædicandi verbum Dei munus ita esse eorum curæ intrinsecum, ut nunquam possint illud prætermittere: nam si quis de grege sibi commisso pereat, sanguinem ejus de manu ipsorum

requiret Dominus, teste Ezechiele: *si non locutus fueris impio, ut custodiat se a via sua, sanguinem ejus de manu tua requiram*. Et quoniam fidelis populus audire nequit, sine prædicante: *Fides enim ex auditu, auditus autem per Verbum Christi*; propterea Nos Curatis omnibus præcipimus, ut singulis Dominicis, aliisque anni solemnitatibus gregem suum assidue inter Missarum solemnia Divini verbi pabulo reficiant, gravi tamen, sed simplici, vulgari, ac intelligibili sermone, ut fidelis populus ad Christianæ virtutis studium accendatur, ad vitia vero declinanda conetur, & speciatim ad illa evitanda, quæ magis grassari videntur. In explicando Divini Evangelii textu rationes, quæ in ejus confirmationem afferuntur, ex sacris scripturis, SS. Patrum testimoniis, Ecclesiasticæ Historiæ exemplis, probatis auctoribus desumantur. Si ta-

tamen aliquis eorum, ſine legitima cauſſa, id per ſubſtitutum, & non per ſe agere præſumpſerit, vel neglexerit, ſciat, ſe, ad Canonum normas, & S. T. C. ſanctiones, fore plectendum.

§. VIII.

Præter animarum Rectores nullus ex Sacerdotibus ſive ſæcularis, ſive regularis ſit, Sacri Concionatoris munus ſibi adrogare audeat ſine noſtra ſpeciali facultate, & adprobatione gratis concedenda. Verum ſi regulares in ſui Ordinis Eccleſia conciones habere velint, id nunquam faciant ſine ſuperiorum ſuorum licentia, & petita a Nobis prius benedictione; aliter in pœnas, & Cenſuras in Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus, promulgatas incident.

§. IX.

§. IX.

Qui in aliquo oppido, vel civitate Quadragefimali tempore funt Concionatores deftinati, antequam munus fuum adgrediantur, coram Nobis fe fiftant, ut opportuna, & falutaria monita accipere poffint. Eos tamen in Domino hortamur, & fummopere obfecramus, ut, in ifto facro munere explendo, Dei verbum annuntiare ftudeant, non in perfuafibilibus humanæ fapientiæ verbis, fed in oftenfione fpiritus, & virtutis. Pro laboribus fuis humanas Laudes haud recipere quærant, gloriam fuam non in ore hominum ponant, fed unice Dei gloriam, & animarum falutem exoptantes Jefum Chriftum, & hunc Crucifixum prædicent.

§. X.

§. X.

Concionatores omnes in Christo monemus, ut a jocis, fabulosis narrationibus, falsis, & commentitiis interpretationibus, apocryphis historiis, falsis miraculis, personis fictis, simulacris fictitiis, aliisque spectaculis se omnino abstineant. Explicent, & non corrumpant genuinum Sacræ scripturæ sensum, &, si opus fuerit, sola Cruce, vel Crucifixi immagine utantur. In vitiis vero objurgandis nunquam personas nominent, vel ad particulares circumstantias descendant, unde auditores ad fontis cognitionem venire possint. Mandamus interea omnibus Archipresbyteris Curatis, & Vicariis Foraneis, ut si nonnulli Concionatores, quod Deus avertat, non se præbeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, & gravitate, & tanquam Christi

Mi-

Ministros, & Mysteriorum Dei dispensatores, statim ad Nos referant, ut opportunis remediis occurramus.

§. XI.

At quia inimicus homo, dum Dei seminatur verbum, molitur zizania superseminare, hinc curent nostræ Diœcesis Parochi, ut populus optimam Concionatoris opinionem concipiat, & ut tabernæ, & Officinæ concionis tempore claudantur. Operam pariter navent, ne unquam conciones habeantur tempore nocturno. Cum vero prædicatur, a mulieribus segregati sint viri, & in Dei Ecclesia evitentur qualescunque confabulationes. Et quoniam, ubi non est auditus, frustra effunditur sermo, ideo omnes de grege nostro fideles in Domino paterne obsecramus, ut Divinum hoc pabu-

lum

lum semper anhelantes, eodem, quo sæpius poterunt, reficiantur. Quapropter in toto Quadragesimæ cursu, in Adventu, Dominicis, aliisque festivis diebus pie, reverenterque sacris concionibus interesse haud prætermittant. Parentes autem, & domini, quibus in Christo id commendamus, magis exemplo studeant, quam cohortationibus filios, ac domesticos ad Dei verbum audiendum commovere. Si enim negligentes erunt, gravissimam apud Deum rationem, se fore reddituros comperiant.

§. XII.

Rogamus denique prædictos verbi Dei præcones, ut suis expletis muneribus, per se ad Nos accedant, ut ita reddere possint rationem de omnibus iis, quæ pro æterna gregis nostri salute agenda esse in Domino judicaverint, & speciatim

No-

Nobis aperire, in quo ſtatu invenerunt, & quomodo reliquerunt animas illius loci, ubi Dei verba ſeminavere. Quæ ſint vitia in eo dominantia, quæ odia, qui contractus uſurarii, & injuſti, quæ diſſenſiones inter familias, an ſint divortia inter conjuges, & cetera tandem, quæ ſunt notatu digna, ut Nos ad remedia, quæ efficaciora ſint, deveniamus. Caveant, ne hoc facere omittant; ſecus eorum conſcientiam coram Deo oneramus, ſi gregis noſtri morbi non curantur, aut tractu temporis increbeſcant.

§. XIII.

Cum Fides, ut ait D. Jacobus, ſine operibus mortua ſit, icci rco, expleto capite de Fide Catholica, oportet gradum facere ad caput de moribus, ut veſtris bonis actionibus, & operationibus, Divinæ gratiæ auxilio, eamdem vivam, & fructiferam facere poſſitis.

CA-

CAPUT II.

DE MORIBUS.

SECTIO I.

De festorum observantia.

§. I.

QUanquam Deus, supremus omnium conditor omni tempore in spiritu, & veritate sit colendus; aliquos tamen dies sibi reservavit quos speciali præcepto, voluit sibi esse dicatos. In veteri lege ob memoriam mirabilium, quæ fecit, sabbatum sibi elegit; in cujus locum diem Dominicum substituerunt Apostoli, ut quod Judæi in figura, nos in veritate celebremus, propter majora beneficia nobis collata. Præter dies Dominicos, alios quoque dies festos consti-

tuit

tuit Ecclesia, ut Deus pariter in sanctis suis coleretur. Verum quoniam his sacris diebus multos fideles vitiis, & sæculi negotiis indulgere observamus; hinc, ne festa, solemnitatesque nostras, ut olim synagogæ, detestetur Deus, quædam ex nostro Pastorali munere præscribenda statuimus.

§. II.

Mandamus ergo Curatis omnibus, ut quot dies festos in hebdomada incidant, inter Missarum solemnia, & specialiter in auroræ Missa populum ad Divina congregatum certiorem faciant, eumque ciant ad festa celebranda peculiari campanæ signo, ad hoc designato.

§. III.

Studeant præterea iidem animarum Rectores, quomodo dies Dominicos, aliosque dies festos ab iis, qui sub sua cura reperiuntur, observari oporteat. Proinde quam maxime eos erudiant illa, quæ agenda, vel omittenda sunt, quæ nempe in cessatione ab operibus servilibus, & in Christianæ pietatis exercitiis sunt posita.

§. IV.

Sed quia opera servilia triplicis sunt speciei, ut D. Thomas loquitur, nempe opus servile Religiosum, quod Deo famulatum præstat; Vitiosum, quod peccato servit, & Mechanicum, quo homo aliis hominibus inservit; proindeque animarum Rectores clare, & distincte po-

pulo explicent, quæ opera servilia sint prohibita, & quæ sunt permissa, ut opus Religiosum agere possit, & vitare vitiosum, teste Joanne Cap. VIII. v. 34.: *Omnis, qui peccatum facit, servus est peccati.* Similiter Parochi explicent populo sibi commisso, ut Mechanica opera omittantur; se autem in materia tam extensa, quia varias complectitur actiones, obscuritas aliqua oriri possit, ideo bene legant Theologiæ moralis auctores, ut in re ista tam seria, quæ hodie negligitur ita, ut omnia negotia diebus festivis reserventur, possint palam facere animabus sibi concreditis, quæ permittantur, & quæ a lege prohibeantur.

§. V.

Quanquam variæ numerantur causæ, uti Necessitas, Pietas, Caritas, publica

uti-

utilitas, & legitima consuetudo, quæ possunt movere superiorem ad permittendum, ut die festo opera servilia necessaria fieri possint, tamen, ne sub istis caussis corruptelæ, vel abusus occultentur, Parochi omni caritate, & diligentia eas explanent, ut fidelis quisque agnoscere possit, quænam sint veræ caussæ ad hanc dispensationem obtinendam. Nemo autem a se dispensare potest, & si istæ caussæ concurrant. Quapropter volumus, nullum sine nostra licentia, vel nostri Vicarii foranei, cui hanc facultatem committimus, posse opera servilia prohibita die festo peragere, quæ gratis conceditur, sub istis tamen conditionibus, scilicet, ut præceptum de audiendo Sacro impleatur, & si quid utilitatis, vel lucri inde percipiatur, aliqua portio in pauperum solamen erogetur. Qui autem sine justis caussis, & debita licentia dies

festos operibus servilibus profanare audent, noverint, se, præter Divinam indignationem, pœnas quoque, secundum Regni nostri Politiam incurrere.

§. VI.

Explicatis operibus servilibus, quæ in die festo cessare debent, operæ pretium est, ut Parochi populum edoceant, quibus Christianæ pietatis exercitiis vacandum sit, accurate exponentes, quam maximi momenti sit illud Divinum mandatum. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* In cujus explicatione adhibere possunt monita Bened. XIV. qui ad rem sic ait. *Dies festi non ad id instituti sunt, ut Christianus populus epulis, ebrietatibus, ludis, spectaculis, aliisque hujus generis licentiis vacet; sed ut fideles in precibus, Divinisque laudibus frequentes &*

& assidui sint, ut Ecclesiis intersint, ut Sacramenta ad Animæ curationem instituta adhibeant, seduloque se exerceant in iis operibus, quæ veram pietatem continent, & ut SS. una cum Christo regnantes, tanquam Patronos congruis officiis, & honoribus prosequantur. Quapropter præcipimus, cauponas, & tabernas, unde ebrietates, rixæ, blasphemiæ, homicidia, aliaque hujusmodi ortum ut plurimum habent, esse clausas; dum Divinum Officium, Missa Parochialis, sacra concio, Christiana Doctrina, Vesperæ, aliæque publicæ functiones in Ecclesia peraguntur.

§. VII.

Prohibemus pariter omnia, quæ dies festos profanant, ut sunt in viis publicis, & plateis chartarum ludi, & quæcunque

scænica artificia, & comediæ, etiam in privatis domibus, item choreæ, saltationes, larvarum simulationes, sonitus, cantusque profani, aliaque postremo similia, quæ esse possunt caussa, & origo peccati.

§. VIII.

Populus equidem, quia magis exemplo, quam exhortationibus, rationibusque ad pietatem excitatur; ideo omnes viros ecclesiasticos in Domino hortamur, ut diebus festis Divinis Officiis, sacrisque aliis functionibus devote intersint, ut suis exemplis populus fidelis dies Deo dicatos debita religione observet.

SECTIO II.

De sacris Jejuniis.

§. I.

Cum S. Mater Ecclesia semper speciali Sp. S. adsistentia conata sit, ne caro adversus spiritum reluctaret, & ut animus ad ea, quæ Dei sunt, alacriter assurgeret; ideo Jejunii legem sancivit, ut fidelium animos præpararet ante dies festos, qui sunt instituti vel ad præcipuorum Religionis nostræ Mysteriorum, vel Beatissimæ Dei Matris, vel aliorum SS. cum Christo in cœlis regnantium memoriam pie recolendam.

§. II.

Sed quoniam in præsentis sæculi decursu, non sine magno animi nostri dolore observamus, non solum hæc ab Ecclesia sancita Jejunia, sed etiam illud Quadragesimale Jejunium parum, vel nil observari, quod horrendum est, nam in lege, & Prophetis fuit adumbratum, exemplo Domini Nostri J. C. consecratum, ab Apostolis traditum, ab Ecclesia in variis Canonibus præscriptum, &, ut ait Bened. XIV., universali consuetudine receptum: idcirco mandamus Curatis omnibus nostræ Diœcesis, ut sæpius, occurrente opportunitate, populo explicent, quomodò observanda sint, & præsertim a quibus cibis abstinendum sit, quæ sit unica commestio, & quæ ejus hora; quoniam hæc tria Jejunii observantiam constituunt.

§.III.

§. III.

Non solum animarum Curati explicent Jejunium, quod, juxta Ecclesiæ regulas servari debet, sed etiam magnopere fidelibus inculcent, abstinentiam ab iniquitatibus; & illicitis sæculi voluptatibus, quæ abstinentia a D. Augustino magnum, & generale Jejunium adpellatur.

§. IV.

Ad sacri jejunii legem tenentur omnes, qui vicesimum primum ætatis suæ annum expleverint, adeoque a lacticiniis, ovis, & carne jejunii tempore abstinere debent, non exceptis omnibus Quadragesimæ Dominicis, quæ abstinentia sub gravi obligat a primo septennio jam expleto. In refectiuncula serotina tam cibi qualitas, quam quantitas præ oculis habeatur. Cibi,

bi, quos in hujuscemodi collatione serotina consuetudo permittit, statuti sunt apud Theologos, quapropter ex quovis cibo indiscriminatim nemo prædictam refectiunculam sumat. Plures sunt caussæ, quæ a gravi jejunii lege excusant. Itaque volumus, Curatos omnes clare, distincteque suis Parochianis, præsertim rudibus explicare caussas a jejunio excusantes, ne in re tam gravi, & tam salutari se se decipiant.

§. V.

At quoniam hisce nostris temporibus infirmitatis pallio a jejunii lege, quasi omnes se eximere cernimus, idcirco mandamus cunctis nostræ ditioni subjectis, ut nunquam jejunantes cibis vetitis, infirmitatis caussa, utantur, nisi utriusque Medici consilio facultatem habuerint, qua

ob-

obtenta, in eadem mensa vesci nequeunt carne, & piscibus, sed in ceteris jejunii leges servare debent, prout statuitur in Apostolicis Constit., & præsertim Litteris Encyclicis Bened. PP. XIV., & Clem. XIII. Hortamur interea prædictos Medicos, ne sint tam faciles in concedendis hujusmodi facultatibus, sed caute se gerant, & sine personarum acceptione ita, ut solummodo iis indulgeant, qui vere quadam laborant infirmitate, & consequenter nequeunt, se abstinere a cibis vetitis sine positivo salutis detrimento. Hi tamen ad unicam tenentur commestionem, & nequeunt eam sine caussa pervertere, nec extra ipsam commestionem, in meridie faciendam, potiones lacte permixtas, aut aliquid a carne originem habens sumere præsumant.

§.VI.

§. VI.

Qui in hoc Regno Bullam Sanctæ Cruciatæ accipiunt vesci possunt cibis esurialibus, lacticiniis, ovis, & obsoniis larido conditis, præterquam in serotina refectiuncula. Christiani igitur, qui recensita Bulla fruuntur, jejunii in ceteri, lege tenentur, & si lucrari velint tam pro vivis, quam pro defunctis Indulgentiarum thesaurum, operas, ut ajunt, injunctas adamussim complere satagant.

SECTIO III.

De Usura, & contractibus illicitis.

§. I.

Cum omne lucrum immediate ex mutuo proveniens usura vocetur; quæ non so-

ſolum animos, ſed & uſurariorum fortunes devorat; unde merito Divina, humanaque lege fuit proſcripta: hinc exiſtimavimus, hoc horribile monſtrum eſſe a noſtra Diœceſi eliminandum, ut fideles noſtræ curæ concrediti theſaurizare ſuper terram non ſtudeant, ubi ærugo, & tinea demolitur, ſed theſaurizent ſibi theſauros in Cœlo, ubi fures non effodiunt; nam ſic plene beati evadunt, quia pecuniam ſuam non dederunt ad uſuram, & munera ſuper innocentem non acceperunt.

§. II.

Enimvero qui uſuram exercent, varia invenere ſubterfugia ad eamdem cohoneſtandam, vel ſub alicujus contractus pallio illam tegere meditantur; iccirco ex Paſtorali noſtro munere declaramus nullatenus eſſe licitam uſuram, de qua verba

ba facimus, juxta illud Christi oraculum: *Mutuum date, nihil inde sperantes*, ita ut neque ex pacto non exigendi mutuum intra aliquod tempus, neque ex numerata pecunia præsenti, neque ex benevolentia, & gratitudine debita aliquid ultra sortem mutuans exposcere potest, excepta tamen sola lucri cessantis, & damni emergentis ratione, quæ reddit mutuantem indemnem ad id, quod interest.

§. III.

Declaramus præterea, omnes contractus, conventiones, & pactiones, in quibus non reperitur æqualitas, esse injustos, usuræ labe infectos, vel de ea suspectos. Adeoque qui dant vinum, frumentum, oleum, vel aliquod simile, ut tempore definito restituantur cum auctario, vel

quan-

quando mensuræ traduntur abrasæ, & postea exiguntur cumulatiores, usurarii sunt censendi. Item sunt etiam usurarii, qui ob anticipatam solutionem emunt minoris justo; vel ob eam dilatam pluris justo vendunt: hi usuræ labem non effugiunt. Qui convertunt usuras in capitale ita, ut pro una mensura tritici, vel olei variis labentibus annis plures, puta decem, viginti, & ultra exiguntur. Declaramus pignus cum pacto *anticriseos*, *vulgo contratto a godere* injustum, & iniquum; nam pignus, quod revera plus valet, quam ipsum mutuum tamquam emptum censetur a creditore, nisi statuto tempore fiat restitutio. Item contractus, ut ajunt ad caput salvum, in quibus sors semper salva manet, & quævis monopolia, sunt etiam contractus usurarii censendi.

§.IV.

§. IV.

Qui census reales, vulgo Bullares faciunt, caveant, ne usuras convertant in capitale, vel ne retineant usuras in actu celebrationis contractus, sed in omnibus se conformare debent Constit. Nicolài V. in Regno nostro jam receptæ, si usuras evadere optant.

§. V.

Laboris infiniti esset recensere heic singulos contractus, qui palliatas usuras continent & quas humana versutia in dies meditatur. Quocirca omnes animarum Rectores, & Confessarios monemus, ut in Sacramentali foro, dum contractus audiunt, accurate disquirant, num sint illiciti, vel usuræ labe infecti, & si res videatur anceps, absolutionem differant, do-

donec proprio ſtudio, & oratione, vel peritorum conſilio veritatem acquirant. Pœnitentes autem, qui male partam pecuniam reſtituere nolunt, non abſolvantur.

§. VI.

Si deteſtabile vitium hoc a laicis eſt magnopere fugiendum, quo magis a Sacerdotibus, quorum vita debet eſſe integra, & omnis ſceleris pura tanquam aliorum ſpeculum? Quapropter ſi, quod abſit, in noſtra Diœceſi reperiantur Sacerdotes uſuras exercentes, vel negotiationi, & contractibus vetitis dediti, mandamus, ut Vicarii Foranei ſtatim eos ad nos referant, ut debitas pœnas dent.

§. VII.

Et ut fideles omnes nostræ Diœcesis cane pejus, & angue, usuras fugiant, non abs re statuimus heic in eorum memoriam revocare pænas contra eos legibus sancitas. Sunt itaque 1. publici, & manifesti usurarii, qui nequeunt ulla tergiversatione celari, vel ita declarati per Judicis sententias, in utroque jure infames, & consequenter irregulares, & inhabiles ad officia, & beneficia Ecclesiastica. 2. Vivi altaris communione, & mortui Ecclesiastica sepultura privantur. 3. Non possunt absolutionem a peccatis recipere, nisi prius revera satisfacerint, vel idoneam cautionem dederint. 4. Testamenta si quæ fecerint, sunt irrita, & nulla, nisi restituerint, vel sufficientem præbuerint cautionem. Clerici autem, qui moniti non desistunt, suspensionem ab

offi-

officio, & beneficio ferendæ sententiæ, & laici excommunicationem, item ferendæ sententiæ, usque ad debitam restitutionem incurrunt.

Sectio IV.

De Sacramentis in genere.

§. I.

Christus Redemptor noster, ut merita suæ Passionis uberrima, quibus æternam nobis salutem comparavit, humano generi adplicarentur, instituit Sacramenta, quorum ope, ut S. Tridentina Synodus docuit, vera justitia incipit, vel augetur, vel amissa reparatur; unde in Ecclesia Dei, & in nova Evangelica Lege nil sanctius, nil salubrius dari potest, sive Auctoris, sive Mysteriorum, quæ continent, sive

fructuum, quos producunt, ratio habeatur. Quapropter animarum Pastores, aliique Dei Mysteriorum dispensatores sedulo mente recogitent, quæ sanctitas, castitas, & pietas in iisdem jugiter requiratur, ut semper parati ad conferenda Sacramenta reperiantur.

§. II.

Quoniam Pastoris officii, & justitiæ ratio efflagitat, ut animarum Curati per se, quoad fieri possit, Sacramenta administrant: Ideo ad conferenda Sacramenta vocati, promptos, facilesque se exhibeant, memores, se principaliter summo Pastori rationem ovium reddere omnino teneri in extremo Dei judicio.

§. III.

Iidem animarum Paſtores quacunque diei, vel noctis hora ad adminiſtranda ægrotantibus Sacramenta vocantur, ſtatim prompto, et Iubenti animo præſto ſint; ne ſua negligentia quiſquam, e grege ſibimet credito, ſine Sacramentorum præſidio, ex hac vita migret; poſt quorum collationem eos non deſerant, ſed increſcente malo, inſtantique vitæ diſcrimine; infirmos frequentius juvent, quod et præſtare debent omnes Sacerdotes Parochialium Eccleſiarum ſervitio adſcripti, quippe omnes curam animarum habitualem habent; aliter, præter gravem culpam, quam ante Deum patrant, etiam graves pœnas, ad Canonum normam, per nos ſubituri ſunt.

Præterea in adminiſtrandis Sacramentis Euchariſtiæ, et Extremæ Unctionis,

curent, ut semper sint induti veste talari, superpelliceo, et stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit, etsi ex improviso sunt a periclitantibus in vita accersiti. Item curent, ut non alios ritus, et cæremonias in iis conferendis adhibeant, præter illas, quæ in Rit. Rom. Pauli V. jussu edito, & a Bened. XIV. emendato, et aucto, præscriptæ sunt. **Quapropter illud semper prompte** habeant, et Sacramentorum formas, ritus, cæremonias, aliaque ad id spectantia perdiscant, nec Rituale ipsum ab Ecclesia deficiat, sed semper præ manibus habeatur, specialiter in actu administrandi Sacramenta, ne quis error incidere possit. Adhibeant etiam summam attentionem, et habeant intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Ut denique animarum Pastores simoniæ, et avaritiæ labem, vel saltem suspicionem effugiant, præci-

pimus, ut neque directe, neque indirecte in Sacramentorum administratione aliquid a fidelibus exposcant, sub pœnis gravibus, a jure statut is, nisi forte peracto Sacramento, eleemosynæ ergo, aliquid sponte offeratur.

§. IV.

Animarum Rectores quoque adhibeant diligentiam maximam, ut vasa sacra, cæteraque supellectilia ad Sacramentorum administrationem necessaria debito honore custodiantur, ut populo Divinam Sacramentorum institutionem, numerum, dignitatem, virtutem, mirabilesque affectus, tum cæremoniarum, quæ in his adhibentur, mysticos sensus sæpius, prout opportunitas se offert, explicent. Eum pariter doceant, quo animo ad recipienda Sacramenta paratum esse oporteat, et

qua corporis veste, et ornamento, ad modestiæ leges composito, unde Religio humilitas, et reverentia splendeant, ad ea accedere debeat.

De Baptismi Sacramento.

§. I.

Quum Baptismus sit omnium Sacramentorum janua, & sine eo non possit quisquam in Dei regnum introire; quoniam homines eo regenerati ex filiis iræ evadunt adoptionis filii, & vitæ æternæ heredes; iccirco ab Archipresbyteris, vel quocunque nomine animarum Curatis magna hujus Sacramenti necessitas, virtus, & efficacia fidelibus proponantur, ut quotidie debitas Deo pro tanto beneficio gratias agant.

§. II.

Et ut in hujus Sacramenti administratione omnia recte se habeant, præcipimus omnibus, quorum interest, ut fons Baptismalis, in quo aqua asservatur, sit lapideus, operculo ligneo, instar pyramidis superimposito, seraque clauso, in cujus vertice Crux effulgeat: Interius sit panno albo obductus, exterius vero conopeo violacei coloris coopertus. In ejusdem quoque vertice, aut in adverso pariete S. Jo: Baptistæ Christum baptizantis imago conspiciatur. In operculo autem sacra Olea in vasculis argenteis, vel stamneis, cum exteriori, & propria cujusque Olei inscriptione, ad erroris periculum præcavendum, asserventur. Ibidem & choclear ad infundendam aquam, & sal benedictus, & gossipium, & linteola munda, ceteraque ad Baptismi u-

sum

ſum conſerventur, & cuſtodiantur. Curent interea iidem; quibus eſt animarum cura ut in ſuis Eccleſiis omnino ſervetur ritus renovandi, & ſolemni benedictione conſecrandi aquam ad Baptiſmi uſum bis in quolibet anno; Sabbato S. ſcilicet, & in Pentecoſtes Pervigilio, ad quam benedictionem omnes de Clero intereſſe tenentur.

§. III.

Ultra tres a nativitate dies Baptiſma non differatur infantibus; quapropter ab animarum Rectoribus acriter redarguantur parentes, ſi ultra id temporis permittant natos ſuos in tenebris deliteſcere, filios iræ manere, & in æternæ damnationis periculo diutius verſari. Præterea Sacramentum hoc ſemper in Eccleſia miniſtretur, & ad fontem baptiſma-

lem,

lem, servatis ritibus, & cæremoniis in prædicto Rituali Romano præscriptis, excepto tamen necessitatis casu, nempe ipsius pueri periculo; adeoque in domibus privatis, & quibuscunque Oratoriis nemini liceat illud sine nostra expressa licentia ministrare. Hæc omnia accurate serventur, sub pœnis a sacris Canonibus statutis.

§. IV.

Quoniam vero ob temporis angustias ad Baptisma ministrandum animarum Pastores aliquando vocari nequeunt, tunc quicunque adest infantibus succurat, & si plures sint, semper dignior præferatur, nisi pudoris caussa, infans nondum omnino editus a muliere baptizari deceat, vel quia mulier melius, quam vir formam, & modum baptizandi callet. Deficientibus

ex-

extraneis, puerum periclitantem parentes baptizare non omittant; tunc enim cognationis spiritualis vinculum, quod matrimonii usum impedit, non se contrahere sciant. Prædicti infantes privatim baptizati, si periculum evadant, tunc saltem intra octo dies ad Ecclesiam Parochialem deferantur, ibique Parochus diligenter exquirat, num sint recte baptizati, quomodo, qua materia, qua forma, & si noverit, omnia recte facta fuisse, suppleat tantum cæremonias; si vero de Baptismi veritate suboriatur dubium, denuo sub conditione eos baptizet. Si infantes expositi inveniantur, etiam si habeant in collo schedulam ab ignoto auctore exaratam, quoniam non certo constat de eorum Baptismo, iterum sub conditione baptizentur. Mandamus præterea animarum Rectoribus, ne permittant, aliquam mulierem Obstetricis munus

nus exercere, nisi sit prius bene instructa de ritu, materia, & forma conferendi Baptisma; immo bis in anno eam revocet ad examen, cognoscendi caussa, an omnia memoria teneat.

§. V.

Mandamus cunctis Parochis, ne unquam in Baptismo permittant imponere infantibus nomina profana, fabulosa, & ethnica, sed ea tantum imponantur, quæ ab Ecclesia in SS. fastis recensentur, ut sic Patronum in Cœlis habeant, quem, tanquam exemplum in terris sibi fideles proponent.

§. VI.

Et quoniam in Baptismo etiam adhibentur susceptores, & quidem unus pro unoquoque infantulo, sive mas, sive mulier,

vel

vel saltem unus, & una; ideo ad hoc munus admittantur qui sunt benemorati, & calleant Christianam Doctrinam, ut verbo, & exemplo possint pueros, seu spirituales filios in omnibus ad Christiane vivendum instruere, saltem in naturalium parentum subsidium. Hinc omnino infames, facinorosi, Ecclesiasticis Censuris obstricti, Paschalibus Sacramentis nondum refecti, & ipsius baptizandi parentes sunt arcendi.

§. VII.

Moneantur insuper puerorum parentes, & nutrices, ne infantulos ante annum a nativitate in proprio lecto sine repagulo retinere audeant propter suffocationis periculum, & si contra fecerint, sciant, hoc absolvendi culpæ genus Nobis tantummodo esse reservatum.

§. VIII.

Collato jam Baptiſmo animarum Curatus ſtatim ipſa die in Renatorum libro per extenſum deſcribat nomina, cognominaque baptizati, parentum, ſuſceptorum, & ipſius Miniſtri, nec non nativitatis, & Baptiſmi horam, diem, menſem, & annum per luculentos characteres, quæ omnia propria manu ſubſcribantur per eumdem animarum Rectorem.

§. IX.

Iidem animarum Curati ſæpe ſæpius explicent populo cognationem ſpiritualem, quæ in Baptiſmo contrahitur, & inter quos extenditur, ut quilibet de populo ſua officia ſciat. Moneant tandem, ut omnes puerperæ quadrageſimo a partu die, inſtar B. Virginis, cui tamen id opus non

erat,

erat, Deo in Ecclesia pro prole feliciter in lucem edita, & sacro regenerationis lavacro sanctificata, gratias rependeant.

De Confirmationis Sacramento.

§. I.

Et si adoptionis gratiam per Baptisma consequamur, voluit tamen sua ineffabili bonitate Servator noster Confirmationis Sacramentum instituere, ut uberioribus Gratiæ auxiliis veri Christi milites, & spirituales athletæ efficeremur, atque ita nedum adversus carnem, & sanguinem, verum etiam contra tenebrarum potestatem acriter possimus dimicare.

§. II.

Et quoniam in noſtra Diœceſi mos eſt, ut plurimum confirmandi infantulos, qui non ſunt capaces intelligendi ſignaculum fidei, quod imprimit hoc Sacramentum, neque ejus effectus, nempe augumentum Gratiæ, & Sp. S. plenitudinem; ideo mandamus Parochis, ut, data opportunitate, ſæpius explicent naturam, proprietates, & effectus hujus Sacramenti, ut quæ per ætatem cognoſcere nequibant, cognoſcant ſaltem, dum ſunt adulti. Verum ſi hoc Sacramentum adulti ſuſcepturi ſint, prius inſtruantur a Curatis in ea, quæ ſunt neceſſaria ad rite, recteque illud ſuſcipiendum, & præcipue ut Pœnitentiæ Sacramento ab iniquitatibus mundentur, ne forte Gratiæ obex apponatur.

§. III.

Cum etiam in hoc Sacramento, ut in Baptiſmo patrini adhibeantur, idcirco volumus, Curatos omnes edocere eos ſuum officium, & cognationem ſpiritualem, quam contrahunt, & inter quas perſonas, ut ſuſceptores, confirmatus, eorumque parentes ſpiritualem nexum, quo innodantur, ſciant; nec non noverint, ut mas a mare, & femina a femina ſuſcipiatur, & non ſint iidem ſuſceptores, qui in Baptiſmo fuerunt. Item in eadem die nemo ſine noſtra licentia plures, quam duos ſuſcipiat.

§. IV.

Conſtituta die omnes confirmandi ad Eccleſiam ſe conferant, & ſegregati mares a feminis omni animi pietate, & mo-

modesto corporis ornatu, sine tumultu, & clamoribus, ad hoc Sacramentum accedant. Nullus interea ab Ecclesia discedat, nisi functione absoluta, & recepta a Pontifice benedictione.

§. V.

Denique Archipresbyteri Curati, peractis omnibus functionibus, nomina, & cognomina confirmatorum, prout præscripsimus in descriptione Renatorum, in libro ad hoc confecto describant.

De Eucharistiæ Sacramento.

§. I.

Cum in SS. Eucharistiæ Sacramento omnium bonorum Largitor, & totius sanctitatis fons Christus Jesus reipsa conti-

neatur, unde in eodem infinitus Divinorum attributorum thesaurus reconditur; clare liquet, qua reverentia, & religione hoc infiniti amoris donum servari, coli, & administrari oporteat.

§. II.

Mandamus ergo, ut in qualibet Parochiali Ecclesia, & in majori altari, utpote digniori, non vero in aliis Ecclesiis, Eucharistia adservetur. Tabernaculum autem, in quo ipsa reconditur, sit marmoreum, vel ligneum, & quoad fieri possit, eleganter extructum, & firmiter aræ adnexum, interius serico albo panno circumornatum, ac mundo semper corporali substrato; ejus ostiolum sit interius eodem serico panno obductum, sera, & clavi argentea, vel inaurata claudatur, quæ ab Archipresbytero Curato cu-

cuſtodienda ſit, ne ad SS. Euchariſtiam ſacrilega manus poſſit accedere. Qui vero in hoc fuerint negligentes, puniantur juxta litteras Encyclicas de Bened. XIV. mandato editas.

§. III.

Nil prorſus in tabernaculo, niſi ſola Euchariſtia retineatur. In pyxide argentea, interius inaurata, ſerico cooperta panno, SS. Sacramentum perpetuo ſervetur, in qua tot particulæ ſint conſecratæ, quot fidelibus communionem quærentibus ſufficere poſſint. In ſingulis hebdomadis, ſi æſtas, decimoquinto die, ſi hyems, renoventur particulæ; & quoties id fiat, diligenter pyxide attente purificata, colligantur fragmenta, & una cum particulis ſumantur. Sit foris prope tabernaculum vas cum aqua ad digitos

purificandos. Saltem una lampas ante tabernaculum noctuque, diuque, ardeat sumptibus illius, cui de consuetudine id spectat. Caveant autem Ecclesiarum Rectores, custodes, admiuistratores, ne lampas extinguatur; nam a gravioribus pœnis haud immunes sunt.

§. IV.

Ministri omnes hujus augustissimi Sacramenti caveant, ne hunc cælestem panem conscientia labe polluta, & impuris manibus fidelibus præbeant, si tot sacrilegia, quot suut personæ, quæ communicautur, evadere optent. Si vero Eucharistia extra Missam præbenda sit, saltem duo cerei, antequam sacra Pyxis extrahatur, accendantur.

§. V.

Ne fideles nostræ Diœcesis judicium, teste Apostolo, sibi manducent, & bibant, oportet prius probare seipsos, & sic de pane illo edere, adeoque omni studio, & diligentia quam maxima suas conscientias ab omni peccati inquinamento mundent, simulque flagranti charitate, reverentia, & devotione, nec non modesto, decentique corporis ornatu ad recipiendum hoc Sacramentum accedant, si æternam damnationem effugere, dulcesque hujus cælestis Panis effectus gustare velint. Archipresbyteri interea, non omittant continuo exponere populo naturam, & mirabiles Eucharistiæ effectus, ut accendatur ad sæpius ipsam sumendam, instar primitivæ Ecclesiæ fidelium, qui singulis diebus per sacram Eucharistiam Jesu Christo consociari stu-

debant. Quando vero, & quo frequentius Christi Corpus sumendum sit, prudentiæ Confessariorum relinquitur. Hinc arcendi penitus, semperque sunt publici, & notorii excommunicati, interdicti, concubinarii, lenones, meretrices, fæneratores, blasphemi, maledici, crapulis, & ebrietatibus dediti, donec certa, & indubia pœnitentiæ, & veræ emendationis signa non dederint.

§. VI.

Quod nullo definito tempore Christus Dominus præceperat, S. Mater Ecclesia saltem in Paschate, gravissima proposita pœna, servandum decrevit. Quicunque hoc præceptum non servat, vivens ab ingressu Ecclesiæ arcendus, & mortuus Ecclesiastica sepultura privandus est, juxta Cap. *Omnis utriusque sexus* Conc. Lat.

Lat. IV. Tempus adimplendi hujusmodi præceptum incipit a die Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive, nisi justis de caussis a Nobis fuerit prorogatum. Archipresbyteri interim in Dominica Passionis moneant populum de hac obligatione, & sint vigilantissimi in describendis omnibus, qui huic præcepto satisfecerint: eos vero, qui Paschale præceptum non impleverunt, ad Nos, post adhibitam paternam correctionem, denuntient, ut si nec Nos audire voluerint, interdicto ab ingressu Ecclesiæ, serv. serv., subjiciantur. Et ut proprias suas oves pastor agnoscat, in propria Parochiali Ecclesia hujusmodi præcepto quisque satisfacere debeat.

§.VII.

§. VII.

Si ægroti, & in vinculis detenti huic præcepto satisfacere tenentur, eorum pastores omni diligentia, & charitate debent hunc cælestem Panem eis deferre intra prædictorum dierum 15. spatium, & si morbi sunt diuturni, debent illos sæpius invisere etiam non vocati, ut ad Sacramenta recipienda eos excitent, speciatim in solemnioribus anni festis; caveant autem iidem, ne quisquam suæ Paræciæ ægrotus sua negligentia sine hoc Sacramento ex hac vita discedat. Dum Eucharistia ægrotis defertur, detur prius campanæ solitum signum, ut convocetur populus, & servatis in Rituali Romano servandis, Parochus indutus cotta, stola, & humerali, & ceteri de clero induti superpelliceo, cereis accensis, devote ægroti domum eant, & peracta Commu-

nio-

nione, ad Ecclesiam redeant, ubi accepta benedictione populus dimittatur.

§. VIII.

Quoniam SS. Eucharistia etiam publice ponitur adoranda, volumus eam in nulla Ecclesia adorationi exponi, nisi ex publica caussa a Nobis probanda, exceptis tamen iis diebus, in quibus vel ex sancita lege, vel ex inveterata consuetudine exponi solet. Quare animarum Rectoribus commendamus, ut id religiose servent. Quotiescunque vero sacra Hostia in ostensorio conspicienda præbetur, saltem duodecim cerei sint accensi, & altare, in quo reponitur, decenter ornatum, in eoque haud ponantur SS. Reliquiæ, imagines, vel statuæ, & si adsint, velentur. Per horas integras saltem bini clerici, vel sacerdotes superpelliceo induti,

nec

nec non confraternitaris SS. Sacramenti sodales sacro vestiti habitu, pias preces ante sacram Hostiam genuflexi fundant. Si vero ex caussa privata expositio fieri debeat, tunc e tabernaculo SS. Sacramentum non extrahatur, sed aperto dumtaxat ostiolo in Pyxide cum sex saltem cereis accensis a Sacerdote cotta, & stola induto ita collocetur, ut a populo conspiciatur.

§. IX.

Feria V. in Cœua Domini, qua hujus Sacramenti institutio recolitur, sicut duobus sequentibus diebus præscripti ab Ecclesia ritus diligenter observentur; unde altare, ubi SS. Sacramentum est deponendum, splendidiori, qua fieri poterit, adparatu, ornetur, tum cereis, atque lampadibus noctuque, diuque semper arden-

dentibus ſacra Urna luceſcat. Clavis vero ſacræ Urnæ non penes laicum (quæcunque ſit conſuetudo) ſed penes ſacerdotem, qui poſtero die ſit celebraturus, aſſervetur. Caveant, ne his diebus deficiant pro infirmis particulæ; quapropter Pyxis cum particulis in ſacrario decenter cuſtodiatur.

De Miſſæ Sacrificio.

§. I.

Quum SS. Euchariſtia non ſolum ut Sacramentum, ſed etiam ut Sacrificium conſideranda ſit, quo incruentum Chriſti Corpus, quod cruentum olim in ara Crucis immolatum fuit, Deo in recognitionem ſupremi dominii quotidie immolatur. Ideo fide-

fideles nil hoc Sacrificio Deo acceptius, nil mundo utilius, nil Ecclesiæ gloriosius, nil inferno terribilius excogitare possunt. Si ergo hæc infiniti valoris hostia est tam Deo accepta, per quam infinitæ suæ Misericordiæ, & indulgentiarum thesauros in nos, etiam defunctos, large diffundit; omnino expedit, ut hoc augustissimum Sacrificium cum omni cordis munditia, & pietate, exteriorique pietatis, & devotionis cultu peragatur. Quare, ut ea, qua decet, veneratione celebretur, quædam præscribenda duximus

§. II.

Quia vero hodie cum magno animi nostri dolore intelligimus, quosdam Sacerdotes suarum obligationum immemores, hoc tremendum Sacrificium sine debita præparatione, & conscientiæ purita-

te,

te , sed tanquam sæculi negotium distracte, ac negligenter celebrare; Ideo volumus omnes nostræ Diœcesis Sacerdotes sacrum facere cum debita præparatione, cæremoniis, & gratiarum actione, prout in rubricis Missalis præcipitur, quas tanquam heic de verbo ad verbum insertas Nos ex nostro Pastorali officio præcipimus. Quare mandamus nostris Vicariis Foraneis, & Archipresbyteris, ut si nonnullos Sacerdotes in his deficere cognoscant, & paternam correctionem nolunt audire, eos ad nos referant, ut opportunis remediis, & pœnis occurramus.

§. III.

Cum magna animi nostri perturbatione sentimus, quod quasi omnium Ecclesiarum Sacristia facta sit tanquam publica platea, in qua inter clericos, lai-

laicosque confabulationes, risus, & alia, quibus non est locus, peragantur: Ideo mandamus, ut in cunctis Sacristiis silentium omnino servetur, & si quid dici opus sit, paucis verbis, submissaque voce expediatur.

§. IV.

Mandamus omnibus Sacerdotibus nostræ ditioni subjectis, ut nunquam audeant celebrare sine veste talari nigri coloris, tonsura conspicua, crineque omnis vanitatis sæcularis experte. Insuper omnia, quæ in Sacrificio adhibenda sunt, Religionem, & splendorem præseferant: Quapropter Archipresbyteri curent diligentissime, ut vestes albæ, amictus, pallæ, corporalia, purificatoria, planetæ, aliaque omnia, nec attrita sint, nec maculata, sed integra, & munda, præcipue calices, & patenæ

tenæ, dum opus ſit inaurentur. Quicunque hæc neglexerit, debitis pœnis obnoxius erit.

§. V.

Sacerdotes, qui audent celebrare in Eccleſiis pollutis, vel oratoriis, vel altaribus pollutis, aut interdictis, vel a nobis non adprobatis, aut coram excommunicato, vel interdicto vitando, gravibus pœnis ſubjiciantur. Arceantur etiam a Divino Miniſterio Sacerdotes publice criminoſi, aut cenſuris, vel irregularitate irretiti. Quare Eccleſiarum Rectoribus mandamus, ut hæc exequi curent.

§. VI.

Qui ſunt ad Sacerdotalem dignitatem evecti, nec primam Miſſam celebrent,

G nisi

nisi prius a Nobis facultatem in scripti obtinuerint, quæ non conceditur sine Magistri cæremoniarum examine, & adprobatione in scriptis Nobis producta], quod sit circa sacros ritus bene instructus.

§. VII.

Non alias cæremonias, & preces quisque in Missa præsumat adhibere, nisi quæ ab Apostolica Romana Ecclesia sapientissime sunt præscriptæ. Nec suæ memoriæ credat, sed intentis Missali oculis certas, statutasque preces percurrat, nec præcipiti linguæ lapsu verba mutilet, aut nimia celeritate sacras actiones perturbet: unde ad hæc vitanda statuimus, ut tempus in Missa celebranda non sit minus tertia horæ parte, &, ad eludendum fastidium, non sint plus semisse.

§. VIII.

§. VIII.

Sacerdotes, qui Apostolico Indulto non gaudent, ante auroram, vel post meridiem, sacrum non faciant: Missæ vero in diebus Dominicis, aliisque diebus festivis in singulas horas ab Ecclesiarum Rectoribus distribuantur, ut commodius agricolis consulatur. Quod vero spectat Missam circa auroram volumus, ut ante ipsam nulla Missa celebretur, ne populus a proprio Pastore avocetur. Curent Pastores, & ceteri, qui curam animarum etiam ad tempus habent, ut sive per se, sive per turnum, ut moris est, in singulis Dominicis, & diebus festivis celebrent Missam pro populo sine ullo emolumento. Verum si Ecclesiæ redditus sint ita tenues, ut vix ad victum sufficiant, concedimus, juxta Bened. XIV. Const., Missam offerre pro elemosyna rum offerentibus, hac tamen lege, ut

totidem Missas pro populo in hebdomada celebrare non omittant.

§. IX.

Onera Missarum; & anniversaria a piis fundatoribus, & benefactoribus relicta sadimplenda sunt in Ecclesiis, altaribus, & diebus ab iis designatis, nec cuipiam hujusmodi satisfactionem prætermittere, aut testatoris mentem immutare liceat; nec Missarum numerum quovis prætextu, etiam tenuitatis elemosynæ, sine nostra intelligentia, imminuere. Et ut defunctorum animabus consulamus, Altare SS. Sacramenti in qualibet Parochiali Ecclesia nostræ Dioecesis pro altari privilegiato juxta facultatem Ordinariis concessam a Pio VI. in suis Apostolicis literis, designamus, ut fidelium animæ, quæ purganti igne torquentur, Indulgentiis quotidianis suffragari

gari possint, ad præfati Brevis normam.

§. X.

Caveant Sacerdotes, ne Missarum stipendia precibus importunis rogent, ut sordidæ avaritiæ occasio removeatur, nec mercimonium faciant, hoc est ex collectis Missarum stipendiis non retineant partem aliquam, dum onus Missarum aliis committitur pro minori stipendio, etiamsi consentiant recipientes, ut est declaratum a Bened. XIV.

§. XI.

Ne autem onerum Missarum memoria pereat, in Sacristia adfixa sit tabella, in qua legata omnia descripta cernantur, & pariter indicentur dies, ritus, & altare, quibus easdem Missas celebrare oporteat. In prædicta Sacristia serventur etiam duo

ibri, in quorum primo singula onera Missarum, & anniversariorum perpetua describantur, in altero Missæ, quas vocant manuales, sive adventitias, notentur. Sacerdotes vero statim, ac Missam pro certo quodam onere, sive perpetuo, sive manuali celebraverint, in proprio libro sua manu eam describant, apposito die, mense, & anno, ut removeatur occasio eadem die celebrandi plures Missas, & ut onus Missarum constet esse satisfactum pro iis, qui eleemosynas dederunt.

§. XII.

Ut autem hoc augustissimum Sacrificium majori, quo fieri potest, splendore, adparatu, & munditia celebretur, & ut populus omni devotione, & religione eidem intersit: Iccirco mandamus Archipresbyteris Curatis, ut curent magnopere,

pere altaria munda, & decenti adparatu ornata, pariterque Ecclesias esse nitidas, non squalidas, tam in suffictis bene compositis, quam in parietibus, unde saltem semel in mense, & diebus præcedentibus dies festos solemniores, parietes purgentur a pulvere, & aranearum telis, itemque semel in anno dealbentur, & pavimenta semel in hebdomada everrantur. Moneant populum Parochi, ut in Ecclesia cum magna animi, corporisque compositione, & devotione maneat, nec in Confessionalibus aliquis sedeat, nec confabulationes, lascivas oculorum circulationes, aliaque sæcularia negotià in ea peragat: item nec altaribus innitatur, nec super iis pileum, vel aliquid ponat; quia domus Dei domus orationis est, & Christus Dominus, etsi dulcis, & mitis, tamen zelo iratus fecit quasi funiculos, & ejecit profanatores e Dei templo. Præterea non omittant

fidelibus sæpius exponere hujus sacrificii necessitatem, præstantiam, fines, uberioresque fructus, ut de eo populus dignam Religionem semper in animo servet.

De Pœnitentiæ Sacramento.

§. I.

Christus Redemptor noster in sua bonitate infinitus, non solum instituit Baptisma, ut Adæ filiis insitam peccati labem aboleret: verum etiam in sua Misericordia dives prævidens figmentum nostrum facile innocentiam in Baptismo receptam amissurum esse, aliud vitæ remedium, scilicet Pœnitentiæ Sacramentum instituit, quo lapsis post Baptisma beneficium suæ mortis applicaretur. Et quoniam ex adultis pauci sunt, qui Baptismi gratiam incolumem servant, quia lutea

vasa

vasa portant: Ideo Archipresbyteri sedulo curent, ut, per hanc post naufragium secundam deperditæ gratiæ tabulam, ad salutis portum fideles perveniant. Quare eos doceant omnia, quæ, ad hoc Sacramentum rite, utiliterque suscipiendum, sunt necessaria. Nos interim, ut idem cum fructu, & pro dignitate ministretur, quædam heic, prout pastorale nostrum munus efflagitat, statuenda curavimus.

§. II.

Nullus Sacerdos, sive sæcularis, sive regularis sit, excepto tantum extremo vitæ discrimine, vel ipso mortis articulo, hoc Sacramentum utriusque sexus fidelibus ministrare audeat, sine ordinaria, vel delegata a nobis obtenta facultate, sub pœnis a jure statutis.

§. III.

Illi soli Sacerdotes audiendi confessiones facultatem a nobis obtinebunt, qui inculpatæ vitæ reperiantur, & prævio examine, si nobis opportunum videbitur, idoneam adprobationem reportarint, & produxerint fidem ab Accademiæ Præfecto subscriptam, quod assidue casuum Moralium conferentiis interfuerint, quæ fiant, ut est dispositum in Synodo Prædecessoris nostri fel. rec.

§. IV.

Confessarii omnes tempus in Patentalibus definitum, sex nimirum mensium, non prætergrediantur; sed diligenter, & tempestive confirmationem petant, una cum Fide Accademiæ Præfecti super ejusdem assiduitate, sine qua nulli audiendi con-

fes-

fessiones facultas prorogatur. Omnia autem, quæ in Patentalibus præscribuntur, accurate confessarii legant, & servent.

§. V.

Qui generali facultate excipiendi confessiones prædit sunt, nunquam absolvendi potestatem sibi collatam existiment ab iis peccatis, & censuris, quorum absolutio nobis est reservata, nisi nostra peculiari concessione. Si quis vero peculiari facultate carens, extra mortis articulum, quempiam absolverit, excommunicationem, aliasque pœnas ipso facto incurret, juxta Clem. X. Constitut., quæ incipit *Superna*. Sub iisdem pœnis adimitur confessariis facultas absolvendi a censuris, & peccatis, quorum absolutionem Summi Pontifices sibi reservarunt. Quoties vero generalis hæc facultas conceditur, ut in

Ju-

Jubilæis, aliisque similibus confessionibus accidit, nunquam ad absolvendum hæresis crimen, formalis tamen, ut Theologi ajunt, licet sit occulta, censeatur collata, nisi prius hæresis expressa in ejusdem facultatis concessione mentio fiat.

§. VI.

Animadvertant confessarii, nullam habere facultatem complicem absolvendi in peccato contra VI. præceptum admisso, etiam Jubilæi tempore, excepto tamen mortis articulo, dummodo tamen non sit alius confessarius adprobatus, vel alius simplex Sacerdos, qui absolutionem impertiri valeat; secus absolutio nulla, & irrita est, tanquam data a Sacerdote, qui absolvendi auctoritatem non habet, & confessarius incurrit ipso facto in excommunicationem Summo Pontifici reservatam.

tam. Concurrentibus tamen circumſtantiis in dicto mortis articulo, ut alius ſimplex Sacerdos vocari, aut accedere ſine aliqua gravi exoritura infamia, vel ſcandolo nequeat, tunc abſolutio a Sacerdote criminis ſocio impartiri poteſt. At ſi idem confeſſarius, nulla gravi neceſſitate impulſus ſe ingeſſerit, & rationes ad evitandam infamiam, & ſcandalum de induſtria adhibere neglexerit, tunc quamquam abſolutio ſit valida, poſitis in pœnitente diſpoſitionibus, ipſe tamen in cenſuram incidit, juxta Bened. XIV. Conſtit., quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, cui nos in omnibus e Paſtorali noſtro munere inhæremus.

§. VII.

§. VII.

Caveant confessarii, ne quocunque prætextu, etiam spiritualis boni, exquirant a pœnitente complicis personam, ipsiusque personæ nomen, vel habitationem; quoniam hæc praxis est a S. Sede damnata, & qui contrarium tenent, & docent, contradicunt, aut temere interpretantur, excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrerit; immo tam isti, quam confessarii cum suspicione pravi dogmatis contra facientes denuntiandi sunt, ut disposuit Bened. XIV. sua Constit., quæ incipit: *Suprema*: quam Nos sequimur, & in omnibus suis partibus adimpleri volumus.

§. VIII.

Quoniam pœnitentes in Sacramentali Confessione ad turpia sollicitati juxta Bened. XIV. Constit., quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*, in qua confirmatur, & augetur Constitutio Gregoriana, non sunt absolvendi, nisi prius ad Nos confessarium denuntiarint, aut quamprimum, non ultra tamen mensem, se delaturum polliceantur: Ideo mandamus omnibus Archipresbyteris, & confessariis nostræ Diœcesis, ut pœnitentes, qui id exequi renuunt, vel plus æquo sine justa caussa differunt, non absolvantur, nisi prius denuntiationis onus adimpleverint. Si quis vero, quod absit, sacerdotem hujus criminis insontem falso accusaret, sciat, se gravissimum scelus commisisse, cujus absolutio, juxta dictam Benedictinam Constit., præter mortis articulum, Romano Pontifici est reservata.

§. IX.

Quum in mortis articulo nulla ſit reſervatio, & quilibet ſacerdos a quibuſvis peccatis, & cenſuris pœnitentem poſſit abſolvere, advertent tamen, qui a cenſuris reſervatis abſolvunt, monere pœnitentes, ut ſi convaluerint, ſuperiori reſervanti ſe ſiſtant, ejuſque mandatis obtemperent; ſecus in eamdem cenſuram reincidunt.

§. X.

Sacramentum hoc non extra Eccleſiam, niſi ægrotis, ſacerdotibus, aliiſque, juſta ex cauſſa, miniſtretur. Mulieres vero ſemper in ſede confeſſionali cum crate, non autem facie ad faciem, audiantur, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus. Inſuper earumdem

con-

confessiones ante solis ortum, vel post occasum, non excipiantur. Si vero ægrotantis mulieris confessio domi sit facienda, pateat cubiculi ostium, ut ab aliis videri, non audiri possit Sacerdos, ut in alia nostra Synodo diximus. Quotiescumque tamen in Ecclesia, vel Sacristia idem Sacramentum conferendum sit, Sacerdotes utantur veste talari, nec in aliis Ecclesiis, sine earumdem superioris consensu, & licentia, confessiones excipiant.

§. XI.

Ecclesiarum Rectores omni diligentia curent, ut sedes confessionales in patenti, & conspicuo Ecclesiæ loco maneant, earumque ostiola a lateribus posita ferreis laminibus, undique, & minutatim perforatis sint obstructa. Interius sit reservatorum casuum index affixus, exterius ve-

ro Christi Domini Crucifixi imago conspiciatur.

§. XII.

Quoniam judicis, & medici spiritualis munus Confessarii exercent, ideo multa doctrina, majorique charitate, & prudentia sint præditi. Quare illud maxime curandum sit, ut quivis confessarius apud se habeat libros a probatioribus Moralis Theologiæ Doctoribus conscriptos, eosque diurna, nocturnaque manu evolvat, & accurate perlegat, nec non propositiones ab Apostolica Sede damnatas probe calleat, & conferentiis casuum moralium, & sacrorum rituum assidue intersit, ne sua inscitia propriam, aliorumque salutem in discrimen adducat. Volumus igitur, ut prædictæ conferentiæ, sicut fuerunt institutæ a Prædecessore nostro adamussim ob-

obſerventur; quare non ſolum Confeſſarii, ſed quivis Sacerdos, & clericus etiam in minoribus conſtitutus iis teneatur intereſſe; alias ſine ejus conferentiæ adteſtatu, nullus ad Ordines Majores, ad Confeſſiones audiendas, & ad Eccleſiaſtica Beneficia obtinenda admittatur.

§. XIII.

Cum claves non ad ſolvendum modo, ſed etiam ad ligandum a Chriſto Domino fuerint Eccleſiæ conceſſæ: iccirco noverint, qui graviſſimum Confeſſionis munus exercent, ut omni diligentia explorent, quibus tribui, & quibus denegari abſolutio debeat. Quare non ſunt abſolvendi, qui ignorant ea, quæ de neceſſitate medii, ut ajunt, explicite credenda ſunt; qui vero neſciunt, quæ ſunt de neceſſitate præcepti credenda, dummodo

nondum moniti promittant ea addiscere, iis differenda non est absolutio, si aliud in eis obstaculum non sit, & ante Confessionem instruantur. Item consuetudinarii, recidivi, & qui libera occasione proxima peccandi versantur, non sunt absolvendi nisi sufficientia, & extraordinaria conversionis signa dederint, & cognoscantur in iis periculum peccandi factum esse remotum. Non sunt etiam absolvendi qui culpabiliter rei, vel famæ alienæ restitutionem differunt, vel negant, maxime si in alia confessione sint moniti. Mulieres quoque, quæ, ut sequantur sæculi mores, nudatis brachiis, pectore, & humeris præsertim in Ecclesiis incedunt, vel vestibus, aliisque satanæ inventionibus, ad lasciviam, & scandala compositis utuntur, ab hoc Sacramento sunt arcendæ, nisi prius scandala repararint, cum vera vitæ renovatione, & modesta corporis compositione.

§.XIV.

§. XIV.

Cum pueri, & pœnitentes, præsertim rudes, potius confusionem, quam confessionem faciant; ideo confessarii, ut suæ doctoris parti satisfaciant, eorum confessiones cum charitate, & humanitate excipiant, & diligenter eos circa peccatorum numerum, species, circumstantias necessario Confessori aperiendas instruant. Explorent interea, an proprii status officia impleverint, & præter operis, etiam cordis peccata admiserint; sint etiam adjumento, ut actus eliciant, qui ad hujusmodi Sacramentum sunt necessarii, scilicet ut ex corde doleant, & in posterum a peccatis se recessuros serio promittant. Eis interim opportuna remedia suggerant, quibus, Dei auxiliante gratia, peccata devitare queant.

§. XV.

Confessarii omnes maxima circumspectione, & prudentia (circa luxuriæ peccata præsertim) interrogent, ne pœnitentes sciant, quæ latent, & ipsi a suis pœnitentibus coinquinentur. Item paterna charitate omnes suscipiant sine personarum acceptione, nec vitandi laboris, aut molestiæ caussa quemquam a se arceant, sed eos vultu hilari, & sine verborum asperitate audiant; secus, dum pœnitentes misericordiam, & veniam sperabunt, in desperationem incident. Si vero aliquando contingat, ut absolutio pœnitentibus protrahatur, tunc lenibus verbis, & sincero commiserationis adfectu ipsi moneantur, ut damnationis periculum, in quo versantur, cognoscant, ac ad reconciliationis gratiam in hoc Sacramento recipiendam studeant, se præparare.

§.XVI.

§. XVI.

Quia (ſecundum ſanctorum virorum monita) ſatius eſt paucorum vulneribus bene mederi , quam multorum vulnera leniter tantum attingere , quo ſæpe fit , ut magis magiſque computreſcant ; ideo caveant Confeſſarii , ne ob pœnitentium multitudinem feſtinanter , & minus accurate , ac diligenter in tanto miniſterio ſe gerant ; neve ullam ſui officii partem omittant , ut pluribus ſatisfaciant .

§. XVII.

Confeſſarii pariter in injungendis operibus ſatisfactoriis juſtitiam , & prudentiam adhibeant , ut pro criminum ratione , & pœnitentium ſtatu , ac conditione, ſalutares , convenienteſque injungant pœnas, nedum ſatisfactorias, ſed etiam me-

dicinales. Antiquos Canones pœnitentiales legant, ut ex iis edifcant, quot, & quas graves pœnas pro culpis repetendas effe oportet. Et quanquam feveritas hæc, fecundum hodiernam Ecclefiæ difciplinam, eft valde remiffa; tamen pœnitentibus graviorum fcelerum fibi confciis manifeftare opportunum eft, ut lubenti animo mitiores pœnitentias fufcipiant, & aliis pietatis operibus Divinæ Juftitiæ ultro fatisfacere conentur.

§. XVIII.

Cum Sacramentale figillum, etiam cum vitæ difcrimine fervandum fit fub pœnis graviffimis a Sacris Canonibus inflictis, ne Sacramentum reddatur odiofum; ideo confeffarii illud religiofiffime obfervent & cautiffime fe temperent a quovis fermone de rebus in Pœnitentiæ Sacra-

cra-

cramento auditis, & dum confessiones excipiunt, nullum signum faciant, ex quo circumstantes graue aliquid in confessione aperiri, aut pœnitentem dimitti sine absolutione suspicari possint.

§. XIX.

Ut omnis avaritiæ suspicio vitetur in hoc Sacramento administrando, prohibemus, ne quis confessarius quidquam, etiam sponte oblatum, confessionis caussa, vel intuitu recipiat; neque poenitentibus imponantur Missæ ab ipso Confessario celebrandæ, nec aliud quodcunque onus respiciens utilitatem suam, suorum, vel propriæ Ecclesiæ. Si quid vero Confessario detur certæ cuidam personæ restituendum, testimonium scriptum ab eo, cui restitutio fit, repetat, pœnitenti postea exhibendum. In rebus vero incerti Do-

mini, caveat confessarius, ne illas, vel suis, vel sibi attribuat, sed pauperibus, vel Ecclesiæ dentur.

§. XX.

Medicos, & Chirurgos in Domino hortamur, ut memores juramenti, quod in sui gradus susceptione recepere, mature ægrotos moneant, ut animæ saluti per Sacramentalem confessionem consulant; quod si ipsi per triduum, ex quo ægrotare cæperunt, plane neglexerint, non amplius eos invisant, alioquin, præter perjurii noxam, pœnas in Constit. S. Pii V. se subituros esse noverint.

§. XXI.

Denique omnes Dei Ministros, & præcipue Archipresbyteros enixe hortamur,

mur, ut fideles ad hoc Sacramentum rite, & frequenter excipiendum excitent, & in omni vitæ periculo ad ipsum illico confugiant. Faciant eos pariter certiores, quod Ecclesia præcipit, ut omnes fideles utriusque sexus, semel saltem in anno, Confessionis Sacramento animum expurgent, hujusque violatores Ecclesiæ ingressu, dum vivunt, & post mortem sepultura Ecclesiastica esse privandos. Pueri vero, etsi nondum ad Communionem sint admissi, tamen si doli, & culpæ capaces sint, hujus Sacramenti participes fiant.

§. XXII.

Quoniam gubernandi animas æconomia exposcit, ut quædam graviora crimina non a quolibet confessario ad confessiones audiendas adprobato absolvi possint; iecirco

co opportunum visum est, quorumdam peculiarium criminum absolutionem Nobis reservare, quorum compendium, & indicem appendicis loco in calce hujus Synodi ponendum curavimus.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

§. I.

Non solum in vita, sed etiam in mortis articulo Redemptor noster Divinæ Gratiæ præsidio voluit fideles suos munire contra hostium tela: quapropter Extremæ Unctionis Sacramentum instituit, quo fideles a delictis, si adhuc sunt, expiantur, & peccatorum reliquiis abstergentur; unde ægrotantium animæ recreatæ, & confirmatæ in Divinæ Misericordiæ fiducia facile morbi incommoda ferunt, & Dæmonis tentationibus in ulti-

mo

mo agone facilius resistunt. Immo hujus Sacramenti virtute corporis quoque sanitatem recipiunt, si id animæ saluti expediat.

§. II.

Quum oleum ab Episcopo benedictum sit, hujus materia Sacramenti, religiosissime est custodiendum. Quare in vase argenteo, vel stamneo reponatur cum externa inscriptione: *Oleum infirmorum*. Idem vas decenti capsula intrinsecus serico violaceo, exterius corio contecta claudatur. Hæc ipsa serica ejusdem coloris crumena similibus sericis funiculis obstricta custodiatur. Eamdem vero crumenam in domuncula quadam, seu cavo serico pariter violaceo intrinsecus circumvestito prope altare majus a latere Evangelii reponi omnino jubemus. Ipsum vero cavum

vum

vum bene custodiatur foribus, & clavibus, quæ penes Archipresbyterum Curatum, maneat, extrinsecus vero decenter sit ornatum, addita inscriptione: *Oleum Infirmorum*.

§. III.

Quoniam Oleum Sanctum quotannis in Cœna Domini ab Episcopo renovatur, veteri combusto, ideo mandamus omnibus Archipresbyteris, ut curent Sacra Olea comparare vel per se, vel per alios Sacerdotes, aut Clericos in Sacris constitutos in nostra Cathedrali a Cœna Domini usque ad Dominicam in Albis. Caveant tamen, ne alios a dictis personis mittant, aliter Sacra Olea ipsis non tradentur.

§.IV.

§. IV.

Animarum Curati statim ac noverint aliquem periculose decumbere, ad eum citissime convolent, nulla aut loci distantia, aut Coeli inclementia, aut viarum asperitate deterriti, opem illi per hoc Sacramentum allaturi. Curent vero, ut illud administrent, dum adhuc ægroti integra mente, & ratione constent, eosque breviter edoceant, quæ virtus Cœlesti huic medicinæ a Deo tributa sit, & ad pios actus excitent, quibus se ad uberiorem Gratiam suscipiendam comparare possint.

§. V.

Quum subjectum hujus Sacramenti sit homo baptizatus, peccandi capax, & periculose infirmus, hinc non solum adul-

tis,

tis, ſed etiam pueris, qui rationis uſu pollent, & doli capaces ſunt ab Archipresbyteris Curatis adminiſtrari debet. Si quis vero nec verbis, nec ſignis (quia repentino morbo præoccupatus) hoc Sacramentum expetere poteſt, dummodo ex præterita ſua vita exiſtimari poterit, illud in mortis articulo optaturum, etiam eſt Sacro Oleo ungendus. Ad prælium tamen ituris, peregrinationem, vel navigationem periculoſam ſuſcepturis, ultimo ſupplicio damnatis, perpetuo amentibus, aut furioſis, ac tandem iis omnibus, qui notorie excommunicati, aut notorii peccatores ſunt, nullum pœnitentiæ ſignum edentes, cæteriſque in Sacramento Euchariſtiæ recenſitis Sacramentum hoc miniſtrari non debet.

§. VI.

Quamquam hujus Sacramenti Minister sit ille, qui curam animarum habet, tamen ejus administratio potest aliis Sacerdotibus idoneis committi, in qua sint semper veste talari, superpelliceo, & stola violacei coloris induti. Vasculum Sacri Olei in crumena collo appensa reverenter, & caute deferat. Clericum, si fieri potest, adhibeat, qui Crucem sine hasta, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, & Rituale Romanum gestet, Gossipium, quo Sacerdotis digiti, & partes corporis ægroti sunt abstersæ in Ecclesia non in ægroti domo crematur, & cineres in Sacrario reponantur. Hoc Sacramentum potest reiterari, sed non in unius periclitantis morbi cursu, in quo semel ministretur; si vero convaluerit, & postea in morbum inciderit, tunc iteretur Un-

ctio, quoties noviter periculose ægrotarit.

§. VII.

Quoniam obligatio ministrandi Sacramentum est gravis: ideo Parochi curent, ne quisquam ægrotus, ex sua negligentia, discedat ex hac vita sine hoc Sacramento. Quare post Unctionem non relinquant ægrotum in ultimo vitæ discrimine, cum hoste colluctantem, & illum morientem ad pios contritionis sensus excitent, & Fidei, Spei, & Charitatis actus ei crebro proponant etiam jugiter adjuvare conentur precibus ab Ecclesia institutis ad animarum commendationem, præsertim Apostolica benedictione in articulo mortis, quam facultatem Nobis a dicta Apostolica Sede delegatam omnibus Archipresbyteris Curatis subdelegamus. Et ad hanc mo-

morientium adſiſtentiam volumus, ut omnes Sacerdotes cujuſcumque Eccleſiæ noſtræ Diœceſis, ut moris eſt, adjuvent Archipresbyterum, ita ut moriens habeat continuam adſiſtentiam. Enimvero in hac noſtra Diœceſi ſi Eccleſiæ omnes ſunt receptitiæ, ubi Sacerdotes æqua lance participant, ideo æqualiter laborare debent, primo Curati, & poſtea gradatim alii Sacerdotes de Cleri gremio.

De Ordinis Sacramento.

§. I.

Cum Ordinis Sacramentum a Chriſto Domino noſtræ ſalutis amantiſſimo inſtitutum ſit, ne deficerent in populo qui Eccleſiam Sanguine ſuo fundatam continuo regerent; ideo qui in ſortem Domini ſunt vocati, & Eccleſiæ Militiæ adſcribi volunt, eam ſcientiam,

morum integritatem, & caſtimoniam habere debent, quam ſacra miniſteria, & animarum regimen efflagitant, ne incidant in illud Oſeæ oraculum: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Quod ſi cœtus Chriſtianorum dicitur *gens ſancta* I.Pet. 2.9; potiori jure a Sacerdotibus ſanctitas eſt colenda. Quare heic Nos quædam ſtatuenda curavimus, quæ reſpiciunt mores, & ſcientiam eorum, qui ad Ordines promoveri amant; namque de caſtimonia alibi loquemur.

§. II.

Quoad mores attinet, nemo ad Ordines ſe aſcenſurum eſſe ſperet, niſi prius ad Nos exhibeat ea omnia teſtimonia, quæ in noſtro edicto de die 1. Junii, & in noſtra ultima Diœceſana Synodo confirmata

mata præſcripſimus, quæ omnia tanquam heic transſcripta, & inſerta cenſeantur.

§. III.

Quoad ſcientiam vero ſpectat, præcipimus, eos omnes, qui ad Ordines ſunt promovendi, non ſolum latini idiomatis intelligentiam, quæ in generali examine ex ſacris Paginis, Conc. Triden., & Cathechismo Rom. comprehenditur, callere, verum etiam accuratum omnium, quæ hic inferius ad ſingulos Ordines pertinere videntur, ſubituros eſſe examen.

Pro Prima Tonſura.

De rebus ad Ordines generatim, de ipſa Tonſura, & de Doctrina Chriſtiana.

De rebus ad prædictos Ordines pertinentibus, de Censuris, & de Irregularitatibus.

Pro Subdiaconatu.

De Ordinibus Majoribus in genere, & de ipso Subdiaconatus Ordine.
De Actibus humanis.
De Conscientia.
De Legibus.
De Peccatis.
De Voto.
De Horis Canonicis.

Pro Diaconatu.

De ipso Diaconatus Ordine.
De Præceptis Decalogi in genere, & specie.

De

De præceptis Ecclesiæ.
De Justitia, & Jure.
De Contractibus in genere, & specie.
De Restitutione.

Pro Presbyteratus Ordine.

De Ordine Presbyteratus.
De Sacramentis in genere, & specie.
De Virtutibus.
De Rubricis ad Missam pertinentibus.

Et si quæ cuique Ordini adsignavimus, sufficiant ad gradatim eos suscipiendos, tamen illa sola non valent ad Sacerdotale munus plene adimplendum. Quocirca Clerici ad Ordines promoti curent quam maxime ad suam, & populorum sanctificationem, instructionemve ea multarum scientiarum notitia impinguare, & præsertim scientia a sacris Canonibus, a SS. Patribus, & Sacra Scriptura hausta, &

non a vanis disciplinis, quæ curiosam rerum humanarum indaginem scrutantur. Nam Scriptura divinitus inspirata, teste D. Paulo utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.

De Matrimonii Sacramento.

§. I.

Matrimonium, quod ab initio mundi tanquam officium naturæ Deus instituerat, in plenitudine temporum Christus Jesus ad Sacramenti dignitatem voluit evectum, per quod & conjugibus gratia confertur, & ejusdem Christi cum Ecclesia sponsa sua conjunctionem, strictumque vinculum, nec non ipsum Incarnationis Mysterium repræsentat. Hinc Apostolus ait: *Viri diligite uxores vestras,*

ſtras, *ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam . . . Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia!* Ephes. 5. 25. 39. Quare ut hoc Sacramentum ea, qua par eſt, ſanctitate, & religione pertractetur, & recipiatur, quædam ad Canonum normas., & prout Paſtorale noſtrum munus poſcit, ad majus ejuſdem Sacramenti bonum procurandum ſtatuere curavimus.

§. II.

Archipresbyteri Curati omni ſtudio, & vigilantia procurent acriter reprehendere juvenes, qui antequam ſacrum ineant fædus, per plures menſes, immo & annos amoribus vacant, nec non patres, & matres, quæ ſub vario prætextu collocandi filias permittunt ſecreto invi-

cem

cem cum amasiis loqui, & frequentem familiaritatem habere, & matrimonia ita contracta reputare prout effecta. Quare cum hoc sit periculi plenum, iidem Archipresbyteri perniciosissimum hunc morem omni vi extirpare contendant, & si non audiantur, certiores faciant Nos, ut efficaciora remedia adhibeamus. Qui vero post consueta sponsalia simul rem habuerint, non absolvantur, nisi per Nos: quapropter monemus Archipresbyteros, ut antequam incipiant denuntiationes, vocent futuros sponsos ad Pænitentiæ Sacramentum; secus denuntiationes non fiant, ne in actu celebrationis matrimonii in varias animi angustias, & perturbationes incidant, caussa evitandi scandala, aliaque inconvenientia.

§.III.

§. III.

Explicent Parochi sæpius populo, Matrimonia sponte, & libere contrahenda esse, non per vim, & metum, & qui ejusdem libertatem violarit, anathematis vinculo esse ligatum, juxta Trid. sess.24. de Reform. Matrim. Cap. 1., & dispositum in Rit. Rom. Explorent pariter contrahentium ætatem, an sit legitima, vel inter se se aliquod impedimentum tam Dirimens, quam Impediens existat; & antequam fiant proclamationes Sponsi subiiciantur examini in Doctrina Christiana, de cujus peritia Parochi fidem Nobis exhibeant; & ne perturbationes inter partes excitentur, Parochi est, omnia præcavere gravi diligentia, qua par est.

§.IV.

§. IV.

Tribus continuis; non sibi proxime successivis diebus festivis de præcepto denuntiationes a S. T. C. præscriptæ inter Missarum solemnia a proprio contrahentium Parocho habeantur. Si vero sponsus, vel sponsa in pluribus locis nostræ Dioecesis domicilium etiam per sex menses fecerint, pariter ibidem fiant denuntiationes, & a fortiori extra Dioecesim; nam Matrimonium contrahi nequit sine illius Ordinarii literis testimonialibus Nobis productis, & adprobatis. Archipresbyteri Curati, sine nostra in scriptis licentia, duas, vel unam pro tribus proclamationibus nullatenus faciant. Exponant quoque populo impedimenta, quæ matrimonium illicitum, irritumque faciunt, gravem culpam, gravesque pœnas, quas quisque incurrit, si sciat aliquod

ca-

canonicum impedimentum, & per humanos respectus negligat ipsis Curatis, vel Nobis revelare. Si vero aliquod impedimentum detectum fuerit, illico intermittat proclamationes, & Nobis aperiatur. Qui vero falsum impedimentum denuntiaverit, præter gravem culpam, quam patravit, gravibus etiam pœnis erit plectendus.

§. V.

Exteri, ignoti, vagi non conjungantur in matrimonium, nec de iis fiant denuntiationes, nisi prius Nobis suorum Ordinariorum indubiis documentis testimoniales litteras præsentaverint, quibus perpensis, & probatis contrahendi licentiam in scriptis concedemus. Et ut feminei sexus verecundiæ consulamus, volumus laudabilem morem celebrandi matrimonium

nium coram Parocho mulieris servari ab omnibus nostræ Diœcesis Parochis, & Sponsi autem non solum, ut alibi diximus, ante proclamationes, sed etiam ea die, qua matrimonium ineunt, Pœnitentiæ Sacramento se purgent, & salubri Eucharistiæ Sacramento reficiantur, ut gratiam tanti Sacramenti recipiant. Matrimonium autem celebretur tantummodo de mane, orto jam sole, in Ecclesia, & diebus non vetitis, qui sunt a Dominica I. Adventus usque ad Epiphaniam inclusive, & a die Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive. Si vero adsint legitimæ caussæ, dispensatio a Nobis in scriptis peti debeat.

§.VI.

§. VI.

Parochi statim ac matrimonium sit celebratum, illico nomina, cognomina contrahentium, pariterque contracti matrimonii locum, diem, mensem, & annum in libro ad hanc rem bene comparato, non aritmeticis notis, sed suis literis extensis, non compendiatis, verbis perspicuis describere, & proprio nomine subscribere per se debent.

§. VII.

Cum multi ineant matrimonium, & nesciant; quæ sint ejus bona, mandamus propterea omnibus nostris Archipresbyteris, ut ante, & post contracta matrimonia, & quoties opportunitas se offert, ea explicent; fidem nimirum, prolem, & Sacramentum, ut sic mutuo adjuvantes,

& in

& in communi contubernio pietatem, & concordiam servantes vivant, mutuæ charitatis vinculum, quo arctissime conjuncti sunt, sola morte rumpi, & separari patiantur. Prolem, si Deus daturus sit eis, sancte possint educare, & instruere, speciatim in iis, quæ ad pietatem, & religionem Christianam, & virtutes omnes spectant. Demum, ut curent magnopere sponsi ne frangant eam fidem, quam promiserunt, sed etiam in matrimonio maritali castitate vivant,

CA-

CAPUT III.

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

SECTIO I.

De Archipresbyteri Curati, Cantoris, Vicarii Foranei, & Confessariorum officio.

§. I.

Cum omnes Ecclesiæ nostræ Diœcesis sint civicæ, receptitiæ, innumeratæ, & actualis animarum cura principaliter ab Ecclesiæ Archipresbytero agatur, qui præcedentiam super omnes alios de Cleri gremio habet, non sine adjutorio omnium de clero; ideo necesse est ut omnibus virtutibus, & doctrina super alios splendeat, unde mores, actusque suos ita componere debet, ut omnium

fit exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, & gravitate. Quare magnopere Archipresbyteri omnes curent sarcta tecta servare ea, quæ in hac Synodo præscripta sunt, & quæ inferius dicturi sumus de vita, & honestate Clericorum. Fugiant interea nimiam familiaritatem, præcipue cum mulieribus, comessationes, confabulationes in foro, & ludricos congressus; nam nunquam gravitatem servabunt, si subditorum cætibus se immisceant. Avaritiam quoque, ejusque suspicionem a se abesse studeant ita ut non pascant, ut comedant, sed comedant, ut pascant; ut ait D. Bernardus.

§. II.

Quæ in hac nostra Synodo de verbi Dei prædicatione, & Evangelii expositione, de morum doctrina excolenda, de

Chri-

Christianæ Fidei rudimentis explicandis, ceterisque, quæ sparsim sancita sunt, & ea omnia, quæ Dei cultum, animarumque salutem respiciunt, totis viribus, lubentique animo adimplenda curent.

§. III.

Assiduas preces, & vota pro ovibus suis ad Deum fundere studeant, omnibusque diebus festis sive per se, sive per turnum ab aliis sacerdotibus de suo clero, juxta cujusque Ecclesiæ mores, ut alibi dictum est, pro illis Sacrificium offerant: nam Sp. S. ait: *Immola pro peccato tuo, offer holocaustum, & deprecare pro te, & pro populo.*

§. IV.

Moneat populum de necessitate orationis ad salutem æternam consequendam, & interim ei explicet requisita necessaria ad bene, pie, & utiliter orandum. Orationem mentalem adeo commendatam omnibus inculcet; ejusque modum, atque usum sæpe exponat, immo practice in Ecclesia fiat meditatio, specistim super novissimis; nam Sp. S. inculcat: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Laudabilem consuetudinem invitando populum ad salutationem Angelicam mane, meridie, vespere, & vicesimaquarta diei hora, nec non fundendi pro defunctis preces prima noctis hora quisque Archipresbyter retineat. Statis temporibu cineres, palmas, & domus in Sab. S. benedicat, sive per se, sive per alios de clero, juxta cujusque Ecclesiæ mores.

§.VI.

§. VI.

In Sacramentorum administratione sit sollicitus, immo obvius petentibus ea. In diebus festivis primo mane sedi confessionali assideat, & omnes cum charitate audiat, non verbis inurbanis, & asperis deterreat, vel expellat. Præsertim invigilet, ne quisquam Sacramentis haud munitus e vivis discedat. Ægrotos, etiam non vocatus, invisat, eosque soletur, & juvet in spiritualibus, & temporalibus omni modo, quo potest. Indesinenter insuper ovibus suis advigilet, quas de suis manibus requiret Dominus, easque præsertim quæ errant, consectetur. Investiget etiam, an dissentiones, inimicitiæ, odia ovium unitatem discindant, an conjuges propria libertate diversum habeant tectum, an inter diversi sexus personas suspectæ foveantur familiaritates, aut ma-

le olentes amicitiæ, aut publici blasphemi, concubinarii, fortilegii, morum corruptores, fraudulenti, dierum festorum profanatores, lascivi, aliique hujusmodi perditi homines, & scandalosi in suis districtis commorentur. Si hos invenerit Archipresbyter primum paterne moneat, & obsecretur, ut se ad meliorem frugem reducant, tum severius increpet, & objurget, demum si nil proficiat, ad Nos referat, ut eos coercere possimus.

§. VII.

Libros parochiales tum antiquos, tum recentes Baptizatorum nempe, Confirmatorum, Matrimoniorum, Mortuorum, status animarum diligenter custodiat. Item testamenta, codicilla, instrumenta, inventaria, processus, & documenta omnia, quæ ad Ecclesiæ bona, redditus, privilegia,

gia, jura, onera quæcunque pertinent, reliquiarum quoque testimonia, indulgentiarum diplomata, & visitationum decreta, summa cura in archivio in sacristia bene posito, & duabus clavibus clauso servet, quarum clavium una sit penes se, & altera penes Archivistam, vel Procuratorem cleri, vel alium de clero juxta mores cujusque Ecclesiæ, ne detur occasio aliquid ex iis evolandi. De omnibus his fiat exacte inventarium cum duobus testibus de clero, & exemplar ad Nos transmittatur, ne aliquid cursu temporis memoria pereat.

De Cantoris Officio.

§. I.

Cantor, seu Rector Chori est, qui in omnibus Ecclesiasticis functionibus, &

præsertim in Divinis officiis ordinem ponit, ut ea debita religione, modestia, uniformitate, & gravitate ab intervenientibus in chorum fiant. Quare statutis horis, ad tabellæ horariæ normam in Synodo Prædeces. nostri positæ & cum hoc confirmatæ faciat dare campanæ primum signum, ad alterum vero omnes choro addicti præsentes sint, & chorali induti habitu bini, & bini, non turmatim, vel unus post alium, ad chorum eant, ubi facta altari, & invicem reverentia, quisque ad suam sedem se ponat, in qua brevibus præmissis precibus, Divinarum Laudum per hebdomadarium initium fiat, quod reliqui excipientes, alternis vicibus, clara voce canendo, debita pausa in mediis versiculis interjecta, prosequantur, tum simul assurgant, sedeant, genuflectant, caputque inclinent, quemadmodum verba, & tempora requi-

runt, prout in Rubricis præscribitur.

§. II.

Neminem permittat e choro discedere, nisi Divino absoluto officio; & si quæ gravis necessitas quemquam illinc abire cogat, a chori Rectore licentiam petat. Completis demum Divinis Officiis, eadem ratione, & ordine, quo se in chorum contulerunt, in sacristiam redeant.

§. III.

Cantoris est chori disciplinam accurate tueri, negligentes benigne monere, & contumaces ad Nos referre; adeoque omnes, qui in choro adsunt, caveant, ne quid in corpore incompositum præseferant; aut crura distendant, sive alterum alteri supponant, aut præ tædio dormiant.

mul-

multoque minus confabulationes, & risus edant, literas, aut alia scripta legant, proprias relinquant sedes, aut strepitum ciant; secus gravibus pro circumstantiarum ratione pœnis a Nobis afficientur. Demum quo tempore Divina recitantur officia, duo saltem luminaria in altari ardeant; in Missa vero solemni, & vesperis, ubi thus adhibetur, sex omnino cerei accendantur.

De Vicarii Foranei Officio.

§. I.

Cum nostræ Diœcesis multa oppida, eaque inter se dissita, complectatur, ne grex noster idcirco detrimenti quid patiatur, necesse fuit eligere in nostræ Pastoralis sollecitudinis levamen tot Vicarios Foraneos, pietate, doctrina, & prudentia

præ-

præditos, ad nostrumque arbitrium amovibiles, quot sunt oppida, & ut ipsi suum officium exacte adimpleant; quædam mo nenda duximus.

§. II.

Munus ergo eorum erit inquirere; an Canonicæ sanctiones, decreta in S. Visitatione, & in hac Synodo lata diligenter serventur. Qua de re has Synodales Constit. persæpe revolvant, & tanquam vigiles, qui custodiunt civitatem, oppidum sibi commissum perscrutari non desinant, perscrutantes Jerusalem in lucernis. Inquirant præterea in Ecclesiasticorum mores, & an quæ in hac Synodo de vita, & honestate Clericorum sancita sunt, fideliter exequantur. Quos vero ab Ecclesiæ disciplina deflectere norint, paterne moneant, & si sint inobedientes, ad Nos

referant, ut puniantur. Præcipue tamen inspiciant, an cura animarum exacte adimpleatur, in prædicatone, in Sacramentorum administratione, præsertim ægrotis, in edocendis pueris, & rudibus fidei rudimenta, & in omnibus aliis, quæ ex officio præstare debent animarum Rectores; & si in huisce peccare noverint, prius benigne moneant, & si audire nolint, ad Nos postea referant, ut opportunis remediis occurramus.

§. III.

Curent magnopere, ut Ecclesiæ bona fideliter custodiantur, & prædia, & domus Ecclesiarum potius in augumentum, quam in deteriorationem eant; & si qua a clericis adtentatur alienatio qualiscunque, puta venditio, enphyteusis, pignus, vel locatio, ad firmum, seu ad longum

tem-

tempus, & ultra triennium, Nobis inconsultis, & sine debitis solemnitatibus, Jure Canonico, & Civili præscriptis, illico impediant; & ad Nos referant, ut opportunis remediis, & pœnis occurramus. Procurent insuper, ut statim ac restituuntur capitalia, reintegrentur cum solemnitatibus jure præscriptis; nec permittant, ut procuratores ea apud se retineant vel aliqui de clero de ipsis negotia instituant, vel suis necessitatibus applicent; cum adnotatione tantum in Ecclesiæ libro; & si qui inobedientes reperiantur; ad Nos referant pro opportunis remediis. Volumus tamen omnes pecunias, quæ jam restitutæ, & penes sacerdotes repeciuntur, debitis solemnitatibus, & consuetis cautelis muniri; secus non effugient pœnas Canonicas per Nos infligendas.

§.IV.

§. IV.

Invigilent præterea, an onera Missarum, legata pia, anniversaria; & cetera adimpleta sint. Item si Missarum tabella sit confecta, & in sacristia adfixa, & si archivium, ut alibi mandavimus, existat, & omnes scripturæ, & Ecclesiæ documenta in ea asserventur. Demum curent, ut omnia, quæ sibi sparsim in hac Synodo ex officio commissa sunt, adimpleantur.

De Confessarii Officio.

§. I.

Cum Confessoris munus, humeris angelicis tremendum, exigat, ut ipse sit filiorum spiritualium pater, doctor, judex,

dex, & medicus, consequens est, ut de hisce characteribus, prout circumstantiæ efflagitant, loquamur.

§. II.

Cum patris sit, filium ordinate amare, dirigere, suisque necessitatibus consulere, hinc confessarius non solum filios suos spirituales paterne diligere debet, sed etiam curare, ne in suis actionibus errent, & in suis necessitatibus desperentur; unde cum charitate, & benignitate, & sine personarum acceptione debet eos amplecti, & hilari, & lubenti animo audire.

§. III.

Quoniam Doctoris partes postulant, ut ipse aliis consilium det, & instruat, ideo confessarius intelligit, ad bene munus suum exercendum scientias necessarias comparandas esse; adeoque oportet, ut ipse, acquisitis bonis, & cordationibus auctoribus, qui de Theologia Morali, & Practica tractant, nec non libris asceticis diu, noctuque eos verset, & scrutetur, ut suis instructionibus, & piis monitis, suis poenitentibus occurrere possit exacte discernendo, & ut Judex pensitando peccata, & eis dando congruam, & dignam poenitentiam.

§. IV.

Onus periculosum, quod confessarius sustinet, est illud spiritualis medici; quoniam

niam debet invenire opportuna remedia, unde filii sui in posterum a peccatis abhorreant; quapropter modis omnibus debet eorum vulnera curare, ut deinceps non amplius renoventur, mox medicinis blandis, mox acrioribus, & mox œconomicis, donec salutem omnino pœnitentes recuperent. Et hic optamus, & commendamus sacram conspirationem, sacrumque foedus inter confessarios, ne unus liget, solvat alius ad propriam, & pœnitentium perniciem, unus ædificando, alius destruendo.

§. V.

Quæ in hac Synodo de confessariis dicta sunt, curent accurate adimplere, & speciatim de accademia casuum moralium, ut possint suum munus facilius exercere, & animas ad Christi ovile ducere.

L. Sr.

SECTIO II.

De Procuratoris Officio.

§. I.

Cleri Procurator dicitur ille, qui a Clero electus sive per turnum, sive per secreta suffragia, prout est cujusque Ecclesiæ mos, bona, & integrum patrimonium in unius anni cursu ejusdem Ecclesiæ administrat. Itaque, ut hic recte, & qua par est, integritate, vigilantia, & religione munus suum obire studeat, ea, quæ inferius sequentur, præscribenda putavimus.

§. II.

Procurator ergo omnes redditus suæ Ecclesiæ procurare, & conservare debet, quos dividere habeat inter reliquos de

Cle-

Cleri gremio, demptis tamen expensis, quæ legitime suæ administrationis tempore erogatæ fuerunt. Verum ab hujus muneris exercitio eximantur Archipresbyteri, & quicunque nomine Curati, valetudinarii, & qui septuagesimum suæ ætatis annum expleverint. Quoad valetudinarios vero judicium Nobis reservamus.

§. III.

Officium Procuratoris ultra annum non protrahatur, & si insurgant quæstiones inter ipsum, & successorem, statim clerus eligat aliquem de gremio, ut interim bona Ecclesiæ administret, ne, dum illi litigant, illa pereant. Expleto anno, Procurator infra dies viginti reddat suæ administrationis computa coram duobus Rationalibus, a Clero per suffragia secreta deputandis, qui exactè librare, & nume-

rare debeant omnes exitus, & expensas, ab ipso factas, quæ non admittantur præter ordinarias, & eas, in quibus cleri consensus accessit, quamvis sint modicæ, exhibitis semper legitimis documentis.

§. IV.

Alienationes quocunque nomine nuncupatæ nullius sint roboris, immo sint nullæ & irritæ, si extra casus a Sacris Canonibus permissos, vel sine præscriptis a jure solemnibus fiant; nec non permutationes, aut oppignorationes, vel concessiones in emphyteusim, aut quovis nomine vocentur alii contractus, qui sine debitis solemnibus fiunt, proinde nulli sint. Procurator vero in locationibus pertractandis, quæ triennium utile excedere non debeant, nihil agat pro suo lubitu, sed receptis oblationibus, eas fideliter cle-

ro

ro proponat, & quod ipse per majora suffragia deliberat, Procurator executurus sit. Idem quoque servetur in nova capitalium investitione, aliisque Ecclesiæ, vel Cleri interesse spectantibus.

§. V.

Nullus audeat incidere arbores in fundis Ecclesiæ positas, exceptis illis, quæ vulgo appellantur *Cedue*, utpote existimantur potius fundi fructus, quam proprietas, aut quæ sunt jam demortuæ, in quarum demortuatarum locum aliæ substituantur, ut sarta tecta Ecclesiæ bona successoribus conserventur, & Christi, & pauperum ejus patrimonium habeatur integrum. Meminerint interea beneficiati, & quicunque de Ecclesiæ proventibus aluntur, ut circa bonorum proprietatem ita se gerant, ut bonum deceat administratorem. Itaque in illis reparandis vigiles, & non negligentes sint.

 §VI.

§. VI.

Ut Procurator recte se gerat, quicquid pro bono Ecclesiæ regimine pertractandum est semper capitulariter pertractetur; & ut omnia in charitate fiant, nec jurgia, & dissensiones insurgant, quod capitulariter erit discutiendum describatur in schedula, quæ ab ipso Procuratore subscripta adfigatur in Sacristia, & die sequenti, peractis Divinis Officiis, pulsata ad capitulum campana, ut moris est, alta voce per digniorem de Cleri gremio legatur, & per suffragia secreta deliberetur quicquid opportunum coram Deo videbitur. Collectis subinde per Procuratorem suffragiorum signaculis, quod per majora suffragia fuit conclusum exequatur; interim in libro, & non in foliis volantibus capitulum describatur cum omnibus suffragiis, tam adfirmantibus, quam ne-

gantibus. Quando capitula aguntur, eadem non fiant nisi in Sacristia, ut moris est, & si in his aliquid tractetur, quod aliquem de Clero tangat, iste, & ejus conjuncti in primo gradu non permittantur in capitulo adesse. Demum procurationis ad lites, vel ad aliud negotium mandata, & literæ nomine Capituli exaratæ nunquam fiant, ipso Capitulo inconsulto.

Sectio III.

De Presbyterorum Ecclesiis receptitiis inservientium officio.

§. I.

Etsi in Ecclesiis receptitiis, civicis, innumeratis, ut sunt omnes nostræ Diœcesis Parochiales Ecclesiæ, actualis anima-

rum cura per solum Archipresbyterum Curatum exerceatur ; cuncti tamen de Cleri gremio , & de Ecclesiæ redditibus & emolumentis partecipantes , quia habitualem curam animarum penes se habent, sunt coadjutores ipsius Archipresbyteri in cura actuali ; adeoque in omnibus , sub ejus regimine , se præstare debent.

§. II.

Itaque eorum munia sunt integra Ecclesiæ bona conservare , de ejus administratione , & negotiis deliberare , & de redditibus , & emolumentis , prout est mos cujusque Ecclesiæ , ex æquo percipere . Unde sequitur , ut etiam in laboribus curam animarum spectantibus sint æque parati , & prompti ita , ut in administrandis Sacramentis , in instruendis rudibus , & pueris , & in præstanda ægro-

tis

tis proxime ex hac vita discessuris adsistentia, sive per turnum, sive per hebdomadam, secundum Ecclesiæ morem, convolent, semper sub Archipresbyteri regimine, & ordinatione, ad confusionem vitandam, & ordinem servandum.

§. III.

Et quoniam in hisce Ecclesiis Sacerdotes ipsis addicti ex immemorabili consuetudine, multis documentis comprobata, tenentur singulis diebus Divinum Officium in Choro recitare; ideo mandamus, ut hæc recitatio non deficiat; & ut commodius exequatur, volumus per hebdomadas eam fieri; dummodo tamen in unaquaque hebdomada Sacerdotes non sint minus octo; in Ecclesiis autem, in quibus Sacerdotes sunt minus octo, saltem diebus festivis, & si sub unico præcepto

sint,

sint, Officium recitetur, in quibus diebus tam sub uno, quam sub utroque præcepto Sacerdotes non interveniant per hebdomadam, sed omnes tenentur Choro interesse, chorali habitu induti, veste talari nempe, cotta, & birreto, sine quibus tanquam absentes reputantur. In Choro vero omnia, quæ in Cantoris munere præscripta sunt, exequi mandamus, & tanquam heic repetita volumus intelligi.

§. IV.

Qui vero a Choro deficiunt in hebdomada sibi deputata, vel diebus festivis, volumus, eos rigorosæ punctaturæ esse obnoxios, quam subeant etiam qui, Divinorum Officiorum tempore manent in Sacristia, vel in Choro sine habitu chorali. Quare singulis annis mandamus, ut

a Clero capitulariter, & per secreta suffragia eligantur duo punctatores, qui ad hujus muneris exercitium non admittantur, nisi præstito juramento de bene, fideliter, & sine ulla personarum acceptione agendo; quod præstetur in hac nostra Cathedrali Ecclesia in manibus Adm. R. Archidiaconi, in cæteris inferioribus in manibus Adm. Rev. Archipresbyteri, aut Œconomi Curati. Iidem conficiant duos libros, ubi quisque in suo, pro modo fallentiarum, describat defectus eorum, qui Choro non interfuere, exceptis Archipresbyteris Curatis, dum curæ suæ vacant, & confessariis, dum in sola Ecclesia Parochiali actu confessiones audiunt, aliisque, qui jure a Choro excusantur, reliqui vero, posthabita quacumque collusione, aut remissione, punctaturæ subjiciantur: aliter tam remittens, quam recipiens ad restitutionem tenentur. Circa le-

legitime impeditos, nullum punctatori relinquatur arbitrium, sed de iis feratur judicium in Collegio. Prædicti libri tempore S. Visitationis Nobis exhibeantur, ut recognoscantur, & exploretur, an omnia recte, & bene se habeant.

§. V.

Quisque Sacerdos per se munus obire tenetur, adeoque alii Sacerdotes substituti non admittantur, nisi urgenti necessitate, qui vero susque deque ferentes punctaturam a Choro absunt etiam ad Canonum normam puniantur. Volumus interea, ut exacte observetur tabella horaria, quæ in Sacristia sit semper affixa, & a primo campanæ signo usque ad introitum in chorum interponatur mediæ horæ spatium; aliter qui deficit, non meretur punctatura puniri.

§.VI.

§. VI.

Quemadmodum nostræ Cath. Canonici cæteros de Clero nostræ Diœcesis dignitate præeunt, sic præeant moribus; respondeat eorum vita titulo, respondeat nomini, sintque re ipsa, ut sunt nomine, Canonici, idest regulares. Residentiæ tempore, ad normam statutorum Chori, servitium non e tædeat, sed exacte impleatur, ut reliqui Sacerdotes, eorum exemplo, tanquam lucerna super candelabrum posita prælucente, excitentur ad studium & amorem Divini Numinis colendi in hymnis, & canticis, & sequantur eos, ut normam, in Choro psallendi Divinas Laudes.

Sectio IV.

De vita, & honestate Clericorum.

§. I.

Eos, qui in sortem Domini vocati sunt Clerici, non solum vitæ sanctitate, verum etiam factorum, dictorumque modestia, aliisque exemplo esse oportet; quapropter in Sacris Libris ii comparantur lucernæ, quæ posita excelso in loco omnes fideles illuminat; vocantur etiam sal terræ, qui eorum corruptionem impedit. Inde clare patet populi sanctitatem in ipsa clericorum sanctitate comprehendi, ut conversatione, sermone, & scientia commisso sibi Dei populo præeant, ut ait Tridentinum sess. 14. decr. de Reform. in Proæmio. Itaque unicuique clericorum, quam maxime cordi esse debet ducere

eam videndi rationem, ex qua omnes præclarissimum virtutum exemplum recipere possint. Quare animus noster his compulsus coegit Nos promulgare, immo renovare ea, quæ a Sacris Canonibus, & a Summis Pont. de vita, & honestate clericorum sancita fuere.

§. II.

Ab exteriori ergo initium facimus, unde maxime cujusque mores dijudicari solent. Quare Pastorali nostra auctoritate mandamus, ut Sacerdotes, & quocunque nomine clerici, vel ad rem Divinam faciendam, vel cæteras sacras functiones peragendas, vel ad operam Choro navandam, veste talari nigri coloris, & undique clausa se induant, prohibitis omnino vestibus, quæ vulgo dicuntur pichescio, o sottane senza maniche; aliis vero tem-

po-

poribus, & in itinere vestes breviores nigri coloris, & ad modestiam, atque decentiam compositas toleramus, repulsis semper illis, quæ sæculi vanitatem redolent: quapropter quæ vulgo dicuntur; giacchette, capani, sarache, calzoni lunghi alla matalotta, o di qualunque altro nome, cappotti colla pellegrina grande, e lunga, cappello a cantarello, e di qualunque altra forma, e non già alla Romana, ch'è proprio de' Cherici, omnino prohibita sunt, sub pœnis in Sacris Canonibus, & in nostro edicto contentis, in executionem Regalis Diplomatis, emanato die 23. Octobris 1815., quod in calce hujus Synodi ad claram omnium intelligentiam ponendum curavimus.

§. III.

§. IIII.

Clerici omnes clericalem coronam ſuo ordini correſpondentem, & conſpicuam gerant; caput tonſuratum ſit non ad præſentis ſeculi formam, relicto vulgo *ceriffo* ſuper illud inſtar caprarum, & collo penitus denudato, inſtar eorum, qui ad triremes ſunt damnati. Barbam decenter raſam habeant, nec in ea relinquantur vulgo baſſette variis modis tortæ, quæ potius monſtruoſitatem, & cordis corruptionem ſapiunt. Capillitium adſcititium (vulgo *parrucca*) non audeant ferre; niſi cogente neceſſitate, & obtenta licentia. Collare tam intra, quam extra mænia, nunquam dimitiant, unde quæ dicuntur vulgo ſcollette, etiamſi nigri coloris ſint, omnino non ferantur extra propriam domum, etſi pergat in longiorem locum: nam volumus quocunque gradu clericos ſemper

tales ex exteriori habitu ab omnibus cognosci debere; secus pœnas dicto nostro edicto contentas, & alias, ad normam canonum, non eludent.

§. IV.

Quicunque in nostrum Diœcesanum Seminarium, quod Nos per totum annum continuare curavimus, ingredi cupit, prius sit provisus cotta, birreto, & proprio habitu, ad formam seminaristæ conformato, videlicet sottana sajæ coloris violacei, & subcoccineis sericis extremis adornata, cujus globuli sint pariter serici ejusdem coloris, cotta ligamine vulgo fettuccia, quæ sit a Novitiatu usque ad Subdiaconatum exclusive albi coloris, a Subdiaconatu usque ad Diaconatum inclusive coloris viridis, & in Presbyteratu rubri coloris. Producat etiam sup-

ſupplicem libellum explicantem ſuum deſiderium, munitum cæteris requiſitis de moribus, & ſtudiis. In ſeminario admiſſus procuret, ſe imbuere virtutibus ſanctis, & doctrina, ut poſſit in Dei Ecclesia utilis operarius evadere. Nullus præſumat ad Ordines aſcendere, niſi per tres ſaltem annos in Ven. Seminario moram traxerit, ubi de ſuo profectu probatum experimentum circa bonos mores, & ſcientias convenientes, moraliter certos nos reddat de ſuo in poſterum progreſſu. Nullus audeat in Seminario præterire uniformitatem ſupra deſcriptam; ſecus ex Seminario dimittatur, & ſpe ad ordines promovendi privetur.

§. V.

Non solum externo cultu, & vestitu, verum etiam incessu, gestu, sermone, & conversatione nil nisi grave, moderatum, & Religione plenum quocunque nomine Ecclesiastici præseferant; ideo contubernium, & familiarem vitæ societatem cum fœminis ne ineant, nisi sint consanguineæ saltem in secundo gradu, vel affines in primo, cum quibus ita honeste se gerant, ut nulla incontinentiæ, scandalive suspicio suboriri queat. Si vero consanguineas, aut affines non habeant, non audeant domi ad suum servitium recipere mulierem qualemcunque, sed eam, quæ sit annis sexaginta, probatissimis moribus, & cum nostra licentia. Absit vero, ut aliquis clericus in quolibet gradu constitutus se ad mulierum suspectarum domus conferat, aut cum eis quomo-

modocunque converſetur, vel alias fœminas per viam paſſim deducat, vel, quod gravius eſt, porrecto brachio, gradientes regat. Idem, ne ullam mulierem edoceat legere, ſcribere, canere, muſica inſtrumenta pulſare, aut alia id genus exercere, ſine noſtro in ſcriptis permiſſu; pariter in Baptiſmo, & Confirmatione ſine noſtra licentia non ſuſcipiat patrini munus, ne ſcandalum oriatur.

§. VI.

A cauponis, & tabernis, præterquam in itinere, omnino clerici ſe abſtineant, nec non a conviviis, & laicorum compotationibus, in quibus temperantiæ leges infringuntur, & licentiæ fræna relaxantur. Præterea publica ſpectacula, ſcenica, hiſtrionum jocos, choreas ſive publicas, ſive privatas conſtanter fugiant. Inſuper perſonati ſeu larvati nunquam incedant,

Talorum, taxillorum, omniumque aleatum ludis abhorreant, nec spectatores ludentibus se adjungant. In foro demum, vel alio publico, frequentique loco, nec pila, nec rotula, nec trocho ludere audeant, suique spectaculum populo facere, magno cum Ecclesiastici ordinis probro, & dedecore.

§. VII.

Omne armorum genus, & speciatim, quæ ignem explodunt, interdictum sit clericis juxta Cap. *clerici arma, de vita, & honestate clericorum*, & Regni Politiam. Quapropter venationes, quæ armis ignivomis fiunt, sunt etiam prohibitæ; nam arma clericorum sunt orationes, & lacrymæ.

§.VIII.

§. VIII.

Quemadmodum Clerici Deum ſolum ſuæ hereditatis partem agnoſcere profeſſi ſunt, ita ſæcularibus negotiis non ſe implicent, nec ullum mercaturæ, aut negotiationis genus, ſive per ſe, ſive per alium, etiam ad damnum vitandum, vel ad ſuos ſuſtendandos, ſine Eccleſiæ facultate exerceant. Aliena prædia, cenſus, & redditus non conducant, vel cum conductoribus ſe ſocient. Mercatus, & nundinas, negotiorum cauſſa, non adeant. Aliorum bonorum procurationem non gerant, nec in laicorum domibus rem familiarem adminiſtrent, ſintque in hiſce rebus omnino obtemperantes Conciliorum Decretis, & Sum. Pont. Conſtit., & præſertim noviſſimis Bened. XIV., quæ incipit: *Apoſtolicæ ſervitutis*, & Clem. XIII.,

cujus initium est: *Cum primum*, quibus Nos in omnibus inhæremus.

§. IX.

Clerici officia advocati, procuratoris, judicis in tribunali laico, & judicio tam criminali, quàm civili, non obeant, exceptis casibus jure permissis, aliisque, quibus nostra accesserit facultas; nec testimonium faciant coram judice laico sine nostro in scriptis permissu, præstitoque juramento in manu nostra, vel nostri Delegati de dicenda veritate. Quod testimonium semper intelligitur in caussis criminalibus, cum clausula citra præjudicium sanguinis. Medici demum, & Chirurgi munus non exerceant sine obtenta ab Apostolica Sede facultate, quam Nobis, antequam mederi incipiant, exhiberi omnino volumus.

§. X.

Nunc vero veniamus ad ea, quæ a clericis agi maxime decet, & quæ ad vitæ sanctitatem sunt necessaria. Quapropter Ecclesiasticos singulos in Domino hortamur, ne ullum diem præterlabi sinant, quin aliquod temporis spatium in oratione, quæ mentalis dicitur, ac piorum librorum lectione impendant, utque quolibet anno per aliquod dies exercitiis spiritualibus operam navent. Quo tempore a chori servitio sunt exempti, & Indulgentia Plenaria a Clem. XI. sua epistola encyclica ditati sunt.

§. XI.

Religionis studium in ipsis clericis quam maxime effulgeat in sacris peragendis, et sacrorum reverentia; unde clerici omnes, ut alibi præscripsimus, sacram Communionem frequenter recipiant, Sa-

cra-

cramentali confeſſione præmiſſa, nec non Divinis Officiis, ſacroſancto ſacrificio, ceteriſque ſanctis functionibus aſſiduos ſe præbeant. Sacerdotes etiam non negligant Sacrum facere diebus feſtivis, præſertim ſolemnioribus, ceteriſque feriis, quoad fieri poteſt, non modo, ut ſint digni Dei miniſtri, ſed etiam ut Chriſtiano populo præbeant exemplo.

§. XII.

Ad ſacra vero ſtudia, quæ Eccleſiaſticos viros decent, quam maxime incumbant clerici omnes; eoſque libros apud ſe habeant, & volvant, quorum aſſidua lectione ad obeunda Eccleſiaſtica munia magis in dies idonei efficiantur; illos præſertim, ex quibus Sacræ Scripturæ, Canonum, Rituum, Dogmaticæ, & Moralis Theologiæ ſcientiam haurire poſſunt.

Ha-

Habeant quoque in promptu pios aliquos libros, quibus, ſive ad quotidianam meditationem, ſive ad populi exhortationem juventur. Hoc enim fideliter adimplentes illud cum ſumma laude aſſequentur, ut verbo, & exemplo Chriſti gregem ad æternam conſequendam ſalutem adjuvent.

§. XIII.

Noverint tamen quicunque ſunt clerici, ſe nullo privilegio, vel immunitate exemptos futuros ab iis, quæ ad morum corruptionem vitandam, atque Eccleſiaſticam diſciplinam cuſtodiendam ſpectant. Si quis ergo has normas violaverit, juſtas per ſacros Canones, & Apoſtolicas Conſtit. pœnas ſtatutas irremiſibiliter dabit. Quare Vicariorum Foraneorum, & Parochorum conſcientiæ id onus committimus, ut quiſque in ſua ditione hæc de vita, & ho-

honestate clericorum decreta fideliter, & religiose ab omnibus servanda curet, & refractarios, inobedientesque Nobis denuntiet, ut opportunis remediis divinæ Gratiæ auxilio, occurrere possimus.

SYNODI CONCLUSIO.

En, venerabiles consacerdotes, & dilectissimi in Christo filii, Synodales Constitutiones, quas sub invocata Sp. S. adsistentia, et sub auspiciis B. Mariæ in Cœlum Assumptæ, hujus nostræ Ecclesiæ Cathedralis Patronæ Titularis, incepimus; jam, favente Deo, qui dat velle, et perficere, completas vobis omnibus, et cunctis nostræ ditioni subjectis præbemus. Reliquum est ergo, ut eas omni, qua par est, diligentia, ad unguem operibus impleatis. Qua propter omnia, quæ in illis sancita sunt, prompte, exacteque exe-

executioni demandentur ; aliter pœnæ a facris Canonibus ftatutæ, & aliæ arbitrio noftro decernendæ infligentur. Et ne ignorantiæ cauffa ab aliquibus, qui in fui defidia, & ignorantia marcefcunt, adlegare poffit ; volumus, ut quilibet Archipresbyter Curatus in qualibet cafuum moralium academia, faltem duas earum Paginas, alta, & intelligibili voce legat, & fuis de Cleri gremio declaret ; nec non, prout opportunitas fe fe efferr, ea, quæ populum refpiciunt, inter Miffarum folemnia ei proponat, & Parerno fermone explicet, ut fic omnes audientes vocem Domini non obdurent fua corda, fed renovantes ea in fpiritu, & veritate conglorificent Deum in terris, et tandem conregnare in Cœlis valeant cum Deo Patre, qui fimul cum Filio, et Spiritu Sancto vivit, et regnat in fæcula fæculorum. Amen.

Fr.

Fr. Ludovicus Episcopus Policastren.

Ego Laurentius Pignataro Cathedralis Ecclesiæ Archidiaconus Curatus, & Prima Dignitas.

Ego U. J. Doctor Ab. Joseph Joachim Miele olim Canonicus Theologus, nunc Cathedralis Ecclesiæ Cantor, & secunda Dignitas.

Ego Raymundus Bellotti Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Decanus.

Ego Vincentius Maccarone Cathedralis Ecclesiæ Canonicus.

Ego Ludovicus Giffoni Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Pænitentiarius, & Abbas S. Mariæ Gratiarum.

Ego Dominicus Menta Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Theologus, & Abbas S. Mariæ ad Martyres.

Ego Augustinus Molinari Cathedralis Ecclesiæ Canonicus.

Ego Fortunatus Vallone Archipresbyter

ter Curatorum Terræ Morigeratorum.

Ego Joseph Palazzo Archipresbyter Curatus Terræ S. Joannis ad Pyrum.

Ego Vincentius Navazio Archipresbyter Curatus Terræ Casellarum.

Ego Dominicus Federici Acchipresbyter Curatus Terræ Bastalearum.

Ego Joannes Antonius Abbas Polito di Rosa Archipresbyter Curatus Terræ Casalecti.

Ego Canonicus Federici Archiptesbyter Curatus Turris Ursayæ.

Ego Blasius del Vecchio Archipresbyter Curatus Terræ Inselinæ.

Ego Abbas Franciscus Cantisani Archipresbyter Curatus Matricis, & Majoris Ecclesiæ S. Nicolai Civitatis Rivelli.

Ego Abbas Vincentius Rizzi Archipresbyter Curatus Civitatis Lacusliberi.

Ego Franciscus Maria Crecca Cantor Curatus S. Jacobi Ap. Majoris Civitatis Laureæ.

Ego

Ego Blasius Antonius la Corte Archipresbyter Curatus Terræ Saprorum.

Ego Franciscus Giffoni Archipresbyter Curatus Vibonatorum Ecclesiarum Parochialium,

Ego Franciscus Finamore Archipresbyter Curatus Terræ Rocchittæ.

Ego Joseph Bortone Archipresbyter Curatus Roccæ gloriosæ.

Ego Nicolaus Flora Archipresbyter Curatus Terræ Turracæ.

Ego Vincentius Cartolano Archipresbyter Terræ Turturellæ.

Ego Joannes Thomas Magliano Archipresbyter Curatus Terræ Leutiscosæ.

Ego Vincentius Guida Archipresbyter Curatus Terræ Pudariæ.

Ego Dominicus de Luca Archipresbyter Curatus Terræ Cellarum.

Egn Agnellus de Siervo Archipresbyter Aquævenarum.

Ego

Ego Joseph Jannuzzi Rector Curatus Terræ Castrirogerii.

Joannes Angelus Ferrarius Œconomus Curatus S.Mariæ de Podio Civitatis Rivelli.

Simon de Marsico Œconomus Curatus Terræ Latheonici.

Ego Franciscus Cantor Pugliese Œconomus Curatus Casalis S. Christophori.

Paschalis Cantor Giffoni Œconomus Curatus Terræ S. Marinæ.

Nicolaus Brundo Œconomus Curatus Terræ Spanorum,

Antonius Vassalli Procurator Archipresbyteri Curati Terræ Siculorum.

Joannes Eboli Procurator Archipresbyteri Curati Civitatis Laureæ.

Josephus Mercurio Procurator Archipresbyteri Curati Terræ Camerotæ.

Augustinus Canonicus Molinari Synodi Secretarius.

Franciscus Polito di Rosa Synodi Notarius.

CASUS RESERVATI

PRO

DIŒCESI POLYCASTRENSI

I. BLasphemia contra Deum, (exprimendo proprie Deum), aut contra Jesum Christum, vel Beatam Virginem.

II. Abusus Sacramentorum, Sacramentalium; Reliquiarum, aut rerum Sacrarum ad quodcumque superstitionis genus; sicut & datio prædictorum ad dictum finem, etiam abusu non secuto. Item quælibet superstitio animo aliis nocendi, vel cum expressa Dæmonis invocatione; necnon docentes hujusmodi superstitiones aliis noxias, vel cum expressa invocatione Dæmonis.

III Juramentum falsum in Judicio, aut occultatione veritatis cum præjudicio alicujus. Procuratio item ejusdem falsi ju-

juramenti, aut occultationis veritatis; etiamsi damnum sequutum non sit.

IV. Furtum Sacrilegum Rei Sacræ.

V. Damnum datum incendio voluntario.

VI. Injuriosa incisio arborum fructiferarum, aut ramorum earundem, dummodo damnum dictæ incisionis excedat summam ducatorum trium.

VII. Constituentes Promovendorum ad Primam Tonsuram, aut ad quoscumque Ordines patrimonia ficta, falsa, fiduciaria, aut quovis modo fraudulenta, & his quomodolibet scienter cooperantes.

VIII. Conficientes literas cœcas, vel infamatorias, necnon libella famosa, in grave præjudicium Tertii; Similiter aperientes, retardantes, vel retinentes literas cujuslibet.

IX. Homicidium voluntarium, mandatum, auxilium, aut consilium ad illud.

X. Procuratio abortus fœtus animati,

vel inanimati ; Mandatum , consilium , aut auxilium ad illud procurandum , effectu sequuto , vel non sequuto.

XI. Detentio infantium in proprio lecto, antequam annum compleant , sine debita cautione repaguli , pulvinaris , aut alia ad periculum suffocationis evitandum.

XII. Incestus intra primum , aut secundum gradum consanguinitatis , vel affinitatis, aut cum personis cognatione spirituali conjunctis.

XIII. Nefandum sodomiæ scelus , sive consumatum , sive non , sive cum mare , sive cum uxore , tam active , quam passive: Ac Coitus cum brutis..

XIV. Copula inter sponsum , & sponsam post contracta sponsalia , & ante matrimonium legitime celebratum . Parentem quoque , consanguineorum , vel quorumcumque domus curam habentium , permissio cohabitationis, vel pernoctationis , cum

præ-

prævifo periculo peccati inter dictos fponfum, & fponfam.

XV. Quælibet impudicitia Confeffarii cum filia fpirituali, quæ fæpius ab eo Sacramentum Pœnitentiæ fufceperit.

XVI. Sollicitatio Confeffariorum, qui perfonas quafcumque fibi confitentes in actu Sacramentalis Confeffionis, aut ante, vel poft immediate, five in loco, five occafione; aut prætextu Confeffionis ad turpia follecitaverint, vel cum iis inhonefta colloquia habuerint. Statimque ab audiendis Confeffionibus, fe noverint effe fufpenfos.

Declaramus autem his cafibus non comprehendi adolefcentes ante decimum quartum annum ætatis propriæ, neque mulieres quoad peccata carnalia, uno dumtaxat excepto, quod fponfum inter, & fponfam de futuro committitur, pro quo tamen abfolvendi facultas conceditur Curatis in occafione celebrationis matrimonii audientibus Confeffiones contrahentium.

BREVE COMPENDIO

DELLA

DOTTRINA CRISTIANA

Da leggersi nel tempo della Messa.

Il Sacerdote facendosi il segno della Croce con dire.

IN nome del Padre, e del Figliuolo, e dello Spirito Santo: *prosiegue a leggere.*

Le cose principali, che ogni Cristiano ha da credere per salvarsi, sono.

1. Che vi è un solo Dio Creatore, e Signore dell'Universo, giustissimo, eterno, Onnipotente, immenso, che si trova in ogni luogo, infinitamente perfetto, Uno nell'essenza, e Trino nelle Persone, cioè Padre, Figliuolo, e Spirito Santo, tut-

tutte tre uguali tra loro; perchè hanno una medesima Essenza, e Sostanza Divina.

2. Che il Figliuolo si è fatto Uomo per amor nostro, cioè ha preso un Corpo, ed un' Anima, come abbiamo noi, nel seno purissimo di Maria Vergine per opera dello Spirito Santo; e si chiama Gesù Cristo, vero Dio, e vero Uomo, nostro Redentore, e Salvadore.

3. Che Iddio è premiatore de' buoni, e punitore de' mali; cioè a quelli, i quali muojono in grazia sua Egli dà il Paradiso, dove si vede, e si gode lo stesso Dio per tutta l'eternità; e condanna all' Inferno quelli, che muojono in peccato mortale.

Per ultimo, bisogna credere tutto quello, che crede la Santa Madre Chiesa Cattolica Romana, e tutto quello, che si contiene nel Credo.

Io credo in Dio Padre Onnipotente,

Creatore del Cielo. e della Terra, e in Gesù Cristo suo Figliuolo unico Signor nostro, il quale fu conceputo di Spirito Santo, nacque da Maria Vergine, patì sotto Ponzio Pilato, fu crocifisso, morto, e seppellito, discese all'Inferno, il terzo giorno risuscitò da morte, salì al Cielo, siede alla destra di Dio Padre Onnipotente. Di là ha da venire a giudicare i vivi, ed i morti. Io credo nello Spirito Santo, la Santa Chiesa Cattolica, la Comunione de' Santi, la remissione de' peccati, la risurrezione della carne, la vita eterna. Così è.

Il Credo fu composto dagli Apostoli, e contiene dodici Articoli, o siano dodici verità principali di nostra Santa Fede.

Il Pater noster contiene tutto quello, che si ha da domandare, e sperare da Dio. L'ha composto Gesù Cristo medesimo, e perciò si chiama Orazione Domeni-

nicale, più eccellente dell' altre.

Padre nostro, che sei ne' Cieli, sia santificato il Nome tuo, venga il Regno tuo, sia fatta la volontà tua, come in Cielo, così in terra. Dacci oggi il nostro pane quotidiano, e perdona a noi i nostri debiti, siccome noi li perdoniamo a' nostri debitori, e non c' indurre in tentazione, ma liberaci dal male; così sia.

Dopo il Pater noster, suole dirsi l'Ave Maria, a fine d' impetrare più facilmente da Dio quello, che domandiamo, per l' intercessione della Beatissima Vergine, la quale è Madre di Dio, Avvocata de' peccatori, e Madre di Misericordia.

Dio ti salvi Maria piena di grazia, il Signore è teco, benedetta sei tu fra le Donne, e benedetto il frutto del tuo ventre Gesù: Santa Maria Madre di Dio, prega per noi peccatori, adesso, e nell' ora della morte nostra. Così sia.

I Co-

I Comandamenti della Legge di Dio contengono quello, che ognuno è obbligato a fare per salvarsi, e sono dieci.

1. Adorare un solo Iddio.

2. Non pigliare il nome di Dio in vano.

3. Santificare le Feste.

4. Onorare il Padre, e la Madre.

5. Non ammazzare.

6. Non fornicare.

7. Non rubare.

8. Non dir falso testimonio.

9. Non desiderar la Donna d'altri.

10. Non desiderar la roba d'altri.

Questi Comandamenti furono dati da Dio nella Legge Vecchia, e poi confermati da Gesù Cristo nella Legge Nuova. I primi tre contengono il modo con cui abbiamo da portarci verso Iddio col cuore, con la bocca, e con l'opere; gli altri sette ci ammaestrano di far bene al Pros-

Prossimo, e non l'offendere nella vita, nell'onore, e nella roba, nè con l' animo, nè con le parole.

Il fine di tutti questi Comandamenti è la Carità, che comanda d' amare Dio sopra ogni cosa, ed il Prossimo come noi stessi.

I Precetti della Chiesa sono sei.

1. Udir la Messa le Domeniche, e l' alrre Feste comandate.

2. Digiunare la Quaresima, le Vigilie comandate, i Quattro Tempi, non mangiar carne il Venerdì, ed il Sabbato.

3. Confessarsi almeno una volta l'anno.

4. Comuuicarsi almeno la Pasqua di Risurrezione.

5. Pagar le Decime alla Chiesa.

6. Non celebrare le nozze ne' tempi proibiti, cioè dalla prima Domenica dell' Avvento, fino all' Epifania; e dal primo giorno di Quaresima, fino all' ottava di Pasqua.

I mezzi, de' quali il Signore ci ha proveduti, per acquistare, e conservare la santa sua grazia, sono i Sacramenti istituiti da Gesù Cristo, e sono sette.

Battesimo, Cresima, Eucaristia, Penitenza, Estrema Unzione, Ordine Sacro, e Matrimonio.

Il Battesimo fa l'Uomo Cristiano. La Cresima dà grazia per diventare perfetto Cristiano. L'Eucaristia nudrisce l'anima, e la conserva nella grazia di Dio. La Penitenza scancella i peccati. L'Estrema Unzione dà ajuto per ben morire, scancella le reliquie de' peccati, e spesso conferisce la sanità del corpo. L'Ordine Sacro dà la potestà di esercitare le funzioni Sacre. Il Matrimonio dà grazia di allevare cristianamente i figliuoli, e di vivere in pace, e carità.

Le cose necessarie per ben ricevere il Sacramento della Penitenza, o sia della Confessione sono cinque.

1. E-

1. Esaminare bene la sua coscienza.

2. Aver dolore di aver offeso Dio.

3. Fare proponimento di non offenderlo più per l'avvenire.

4. Dichiarare tutti i suoi peccati al Confessore, senza lasciarne nè pur uno.

5. Accettare la penitenza, che viene imposta.

Le cose necessarie per ricevere degnamente il Sacramento dell' Eucaristia, o sia della Comunione sono.

1. Essere affatto digiuno dalla mezza notte.

2. Essere in grazia di Dio.

3. Fare Atti di Fede, di Speranza, di Umiltà, d' Amore, di Desiderio di unirsi con Gesù Cristo.

I Vizj capitali, dai quali derivano tutti gl'altri peccati sono sette.

Superbia, Avarizia, Lussuria, Ira, Gola, Invidia, ed Accidia.

Per astenersi dai peccati giova la considerazione de' Novissimi, e sono quattro.

Morte, Giudizio, Inferno, e Paradiso.

L'opere di Misericordia, che ognuno a proporzione del suo stato, e delle sue forze deve esercitare, sono di due sorte, sette che chiamansi Corporali, sono

Dar da mangiare agl'affamati. Dar da bere agli assetati. Vestire gl'ignudi. Alleggiare i Pellegrini. Visitare gl'infermi. Visitare i carcerati. Sepellire i Morti.

L'altre sette opere della Misericordia, che chiamansi Spirituali, sono.

Consigliare i dubbiosi. Insegnare agl' ignoranti. Ammonire i peccatori. Consolare gli afflitti. Perdonare le offese. Sopportare pazientemente le persone moleste. Pregare Iddio per li vivi, e per li morti.

Le principali virtù, che il Cristiano deve praticare, sono le tre chiamate Teo-

lo-

logali, cioè Fede, Speranza, e Carità.

E le quattro chiamate Cardinali, cioè la Prudenza, la Giuſtizia, la Fortezza, e la Temperanaa.

Gli Atti, coi quali ſi eſercitano le ſuddette tre virtù Teologali, che debbono ſpeſſo farſi, ſono i ſeguenti.

ATTO DI FEDE.

Credo mio Dio fermamente, perchè Voi verità infallibile così avete rivelato alla Santa Chieſa, che ſiete un Dio ſolo in Tre Perſone uguali, Padre, Figliuolo, e Spirito Santo. Credo, che la ſeconda Perſona della Santiſſima Trinità, cioè il Figliuolo ſi fece Uomo nel ſeno puriſſimo di Maria Vergine per opera dello Spirito Santo, morì per noi in Croce, riſuſcitò, e salì al Cielo, di dove ha da venire alla fine del Mondo per giudicare

tut-

tutti, e dare ai buoni per ſempre il Paradiſo, ed ai cattivi le pene eterne dell' Inferno. Credo ancora tutto quello, che crede, ed inſegna la medeſima Santa Chieſa; Ed in queſta vera, e Santa Fede voglio vivere, e morire.

ATTO DI SPERANZA.

Dio mio, perchè ſiete onnipotente, fedele, e miſericordioſo, io ſpero, che per li meriti di Gesù Criſto noſtro Salvadore, mi darete il perdono de' miei peccati, la grazia voſtra in queſta vita, e la Gloria eterna nell' altra, ſe farò opere da buono Criſtiano, come propongo di fare col voſtro ſanto ajuto.

ATTO DI CARITA'.

Dio mio, perchè siete sommo, e perfettissimo Bene, vi amo con tutto il cuore, e sopra ogni altra cosa; e più tosto, che offendervi, son disposto a perdere qualunque altra cosa del Mondo, e la vita medesima; e per l' amor vostro amo ancora, e voglio amare il Prossimo mio, come me stesso.

ATTO DI CONTRIZIONE.

Dio mio, per esser Voi somma bontà, e perchè vi amo sopra ogni cosa, mi pento, e mi dolgo di vero cuore di avervi offeso, propongo fermamente col vostro santo ajuto di non peccare mai più per l'avvenire, ed in particolare di fuggire le occasioni prossime del peccato.

EDITTO CIRCOLARE

Molto Reverendi Signori Colendiſs.

IN adempimento del Real Diſpaccio del dì 24. Ottobre 1815., e per un dovere inerente alla noſtra Paſtoral cura incarichiamo le LL. SS. MM. RR. di eſibirci nota diſtinta degli Eccleſiaſtici, i quali menaſſero vita aliena dal preſcritto de'Sagri Canoni tanto ne'coſtumi, e nelle maſſime, quanto ne' diſſimpegni del Sagro Miniſtero, e nello ſcandalo, che da taluno di eſſi ſi recaſſe alla popolazione.

Relativamente all' indecenza del veſtire, ordiniamo, che, dopo l'elaſſo de'15. giorni dalla notifica del preſente, reſtino ſoſpeſi dalla celebrazione della S. Meſſa tutti quegli Eccleſiaſtici, che faranno uſo di cappello a cantarellò, di ſaraca, di giacchetta, di jorca, di calzoni alla mata-

talotta, o compariſſero in pubblico ſenza collaro, a tenore del noſtro Sinodo Dioceſano Cap. IV.

Ci farete ſapere altresì, ſe qualche Chieſaſtico faceſſe uſo di ſchioppo, o di altre armi, ſe vi foſſero de'dediti a' giuochi vietati, ſpecialmente di carte; o che in qualunque altro modo profanaſſero il Sagro carattere, di cui ſono inveſtiti. Lo ſteſſo ſi praticherà pei ſcandaloſi, che fuſſero di pubblico ſcandalo, e di prevaricazione alle popolazioni, ſpargendo maſſime pernicioſe contro la Religione, e la ſana Morale, affinchè, dopo adoprati i mezzi, che ſono nelle noſtre mani, ſi poſſa da Noi dar parte ai Magiſtrati ſecolari, e procederſi ſecondo le Leggi.

Se nelle riſpettive Comuni vi ſiano Chieſe profanate, e ſoggettate a teatri, e abuſi indecenti, e ſordidi, lo faranno a Noi ſapere.

Fi-

Finalmente ci daranno la notizia, se dalle loro Chiese vi saranno Preti assenti dalla Diocesi, significandoci il tempo, e l' oggetto della loro lontananza.

Tutto si esegua sotto la loro risponsabilità, ed attendendo sollecito riscontro su di quanto si è prescritto, le benediciamo, e con affetto ci raffermiamo — Delle LL. SS. MM. RR. — Torre Orsaja 23. Ottobre 1815. — Affezionatiss. servo, e Pastore F. Ludovico Vescovo di Policastro — Signori Arcipreti, e Curati della Diocesi di Policastro.



